




UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Tractatus De Schismate

Longueval, Jacques


Lovanii, [1718]


[urn:nbn:de:hbz:466:1-64915](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64915)




N
1
213

Th. 5010.







TRACTATUS
DE
SCHISMATE

Ex Gallico Latinè redditus.

CHRISTIANUS

Mibi Nomen,

CATHOLICUS

Cognomen.

S. Pacian. Ep. 2. ad Symphor.

*Collegii Soc. Jesu Paderbornæ
anno 1719*



LOVANIÏ,

Typis FRANCISCI VANDE VELDE,
propè forum, sub Scuto Angliæ.

Cum Approbatione.

TRACTATUS

DE

SCHISMATE

EX CALICO LAMBE REDDITUS

CHRISTIANUS

JOHN WATSON

CATHOLICUS

COVENTRY

ST. PETER'S, A. 1820



LONDON

Printed and Sold by J. JOHNSON, Strand

proprietor, the Strand, London

1820



EXCELLENTISSIMO
ET
REVERENDISSIMO DOMINO
DOMINO
THOMÆ PHILIPPO
DE ALSATIA, DE BOUSSU,

*Dei & Apostolicæ Sedis gratiâ Archi-
Episcopo Meckliniensi, Primate Bel-
gii, Sanctissimi Domini Nostri, Do-
mini Clementis Papæ XI. Pralato Do-
mestico, ad exercitus Casareo Regios
Delegato Apostolico, Sacræ Casaræ,
Catholicæque Majestatis Actuali
Intimo Consiliario, &c.*

Excellentissime & Reverend. Domine



Ota Tibi, ac deplorata
horum temporum cala-
mitas, & non jam mi-
nitans, sed Galliam la-
cerans Schisma, hujus
Tractatûs *Christianum*
(ut se merito vocat) & *Catholicum*

* 2

verè-

EPISTOLA

verèque Eruditissimum excitavit Auctorem, ut Schismatis naturam, originem, progressum, effectus pestiferos, monstrum denique totum coloribus vivis depingeret, & ad illud vitandum execrandumque fideles populos commoveret. Tantæ quippe est spurcitiæ & foeditatis, ut, si larvâ detractâ nudatum appareat, solo intuentes avertere & terrere possit aspectu. Quin & ipsi tam veteres quàm hodierni parentes Schismatis atque auctores, partûs sui foetorem cum ferre non possint, Catholicæ Ecclesiæ unitatem, quam factis scindunt, servari à se fallacibus verbis prætexunt: ne Schismaticos se, quales re ipsa sunt, si profiteantur, publicam imprimis orthodoxorum indignationem incurrant, & latens sub modestiæ, pietatis & unitatis fuco spiritus se prodat rebellionis, superbiæ, ambitionis, vindictæ: qui semper fuit, & est omnium proprius Schismaticorum. Et licet Schisma præcisè consideratum ab Hæresi differat, tanta tamen est affinitatis connexio, ut rarò, seu potius nunquam ab illa separetur: utpote quam vel filiam habet, vel matrem. His certè temporibus

bus

DEDICATORIA.

bus quicumque dogmata à Summo Pontifice, ipsaque etiam nunc universali Ecclesia definita, cunctisque fidelibus credenda proposita pertinaciter respuunt, & mundi manu damnata amplectuntur; geminâ se Schismatis & Hæreseos leprâ sine dubitatione commaculant. Porro cùm utrumque hoc pestilens malum, nisi tempestivè reprimatur, per universum Ecclesiæ corpus occultis incrementis serpat ut cancer, præsentissimum Tractatus hic exhibet remedium, quo & sana membra intacta à contagione serventur, & curentur infecta. Ut autem ad eos quoque facilius, qui Gallici idiomatis periti non sunt, tabi ulcerosi extendatur antidotum, præsentem *De Schismate Tractatum* fidelissimè ad mentem sensumque Auctoris Latinitate donavi.

Cùm verò ad Belgii nostri Antistites, omnes cum Petri Cathedra unitate fidei conjunctissimos, omnes à Schismaticis abhorrentes, & commissi sibi à Domino gregis vigilantissimos Pastores circumspicerem, ac mecum reputarem, cui potissimum (quod omnibus gratum fore non ambigebam)

EPISTOLA

Opusculum hoc venerabundus offerrem, dedicaremque: multæ me rationes impulerunt, ut ad Te, Excellentissime & Reverendissime Domine, qui Belgii Primas es, & Archiëpiscopali dignitate præcellis, non tam meum oblaturus, quàm quod tuum est, redditurus accederem. Etenim Tractatus hic præstantissimus, cujus nihil ad me pertinet præter idioma novum, per Te primùm est Belgio datus, per Te lucem vidit, & adoptatus à Te, jure factus est tuus. Quâ adoptione non minori Te, quàm Autor ipse, fidei tuendæ zelo accensum, nec minori Schismatis atque Hæreseos odio æstuantem egregiè demonstraſti. Præterea quid Pastoralis tua Epistola, quæ Belgii Episcoporum, & orthodoxorum omnium calculo probata atque laudata nuper prodiit, dignum satis commemorem: nisi quòd illa Catholici pectoris tui zelum, ardorem fidei, desiderium servandæ unitatis, omnimodam cum Christi Vicario confessionem, curam denique tuam, ut gregem à luporum morsibus vindices, semper vigilem, semperque indefessam luculentissimè testetur. Hæc non

JUGO
mea

DEDICATORIA.

mea tantum, sed subditorum tuorum communis est vox, communisque lætitia. Hi enim omnes, qui paucissimos refractarios nunc patentes, minusque nocituros, & numero in immensum superant, & avita Religione confundunt, non jam tacitis Tibi gratulantur votis, sed apertis protestationibus, & spontaneis subscriptionibus, in damnandis ac detestandis Quesnelli erroribus, atque in plena & sincera erga Apostolicam Sedem obedientia & subjectione consentiunt. Paucissimos dico refractarios, qui in tua Archidicesi redacti sunt ad manipulum tam contemptibilem, tamque exilem, ut ne ad millesimam quidem pertingant partem, si comparentur cum gloriosa & numerosissima acie orthodoxorum.

Habes, Excellentissime & Reverendissime Domine, habes à Belgii Episcopis, ab Abbatibus eorumque subditis, à præclarissimis Canonico-
rum Capitulis, ab Universitatis Lovaniensis Facultatibus, ab Urbium Pagorumque tibi commissorum Parochis, à Religiosorum Ordinum Superioribus ac Subditis universis, non petita, sed ultro ad Te missa, non ex-

*

4

torta,

EPISTOLA

torta, sed liberrima testimonia, chi-
rographis singulorum munita, qui-
bus se Bullam *Unigenitus* cum Ec-
clesia amplecti, Pastoralis tuæ Epi-
stolæ adhærere, Petrum per Clemen-
tem locutum esse, palam & sine ulla
restrictione testantur. Omnes hi Ar-
chipastoris sui præclaro excitati ex-
emplo, gloriæ sibi ducunt, fidem se
posse testari suam, gaudentque & ex-
ultant, se tanquam viva Ecclesiæ mem-
bra à Schismaticorum fæce, ceu fru-
mentum in area Domini à palearum
levitate, critica hac ventilatione se-
cerni ac separari.

Accipe igitur, Excellentissime &
Reverendissime Domine, tot Tibi ti-
tulis debitum Opusculum, quod uti
hoc periculoso tempore ad conservan-
dam fidei membrorumque cum Capi-
te unitatem utile & necessarium est, ita
tantò acriùs Lectores alliciet, si à Te,
qui in divina scientia, utpote Sacræ
Theologiæ Doctor, versatissimus es,
pridem summis laudibus commenda-
tum, tua auctoritate probatum, ac
tandem tuo patrocínio fultum agno-
verint. Faxit pacis, unitatis, & fidei
nostræ auctor & consummator Deus,
ut

DEDICATORIA.

ut quicumque hunc Tractatum, in regionibus præsertim infectis, sunt lecturi, in sana & Catholica doctrina, debitaque Sedi Apostolicæ obedientia confirmentur qui orthodoxi sunt, solidentur vacillantes, reducantur errantes, instruantur seducti, Schismatici convertantur ! Hic est unicus Opusculi hujus scopus. Deus Optimus Maximus Excellentissimam & Reverendissimam tuam Dominationem Ecclesiæ Belgicæ diu servet incolumem, & secundum vota subditorum tuorum cœlesti cumulet benedictione.

Excellentissime &
Reverendissime Domine,

Tuæ Excellentię

Humillimus & obsequentissimus servus
LIVINUS DE MEYER S. J.

THOMAS PHILIPPUS
DE ALSATIA, DE BOUSSU,
*Dei & Apostolicæ Sedis Gra-
tiâ Archiepiscopus Mechli-
niensis, Primas Belgii, SS.
D.N. Domini CLEMEN-
TIS Papæ XI. Prælatus
Domesticus, ad exercitus
Cæsareo-Regios Delegatus
Apostolicus, & Consiliarius
Statûs actualis Intimus sa-
cræ Cæsareæ & Catholicæ
Majestatis &c.*

Periculum contagii, cui, non sine
ingenti animi mœrore, expositam
videmus Ecclesiam Belgicam occasio-
ne vicinitatis eorum, qui luctuosâ
pertinaciâ, quâ Sanctæ Sedi & Capiti
visibili universalis Ecclesiæ submitte-
re se recusant, Schisma apertissimè
fovent, dudum in Nobis excitavit
desiderium, ut liber aliquis orthodoxo
calamo exaratus, ad solis radios de-
monstraret, quàm manifestâ injuriâ
com-

communis fidelium Patris Filii rebelles & refractarii à Catholica unitate tanto cum scandalo & publica offensione se separent. Quod cum præstiterit præclarissimus Auctor *Tractatus de Schismate*, lubenti sane animo facultatem dedimus ut typis editus per Diocesim nostram divulgetur; quo, velut sacro quodam antidoto subjecti nobis populi se muniant contra venena Schismaticorum, & in salutifero, quo ob tantam abominationem concutiuntur, & concuti debent, horrore confirmentur. Datum Mechliniæ in Palatio nostro Archiepiscopali die 10. Maii. 1718.

THOMAS ARCHI-EPISCOPUS MECHLINIENSIS.

De Mandato

Excellentissimi & Illustrissimi Domini

A. DE SMET Secret.



P R Æ F A T I O.



Um Ecclesia in terris militans constet variis ingenii hominum passionibus excœcatorum, quibus ipsa pro commissa sibi cura moderari ac frenum injicere tenetur, aeterna divisionis animorum, turbarumque semina sinu suo complectitur. Verùm hæc bella intestina, & Schismata, quibus Ecclesia cruentatur, animos nostros dejicere non debent, quasi promissis non staret Dominus. Navi quippe comparatur Ecclesia, ne, dum eam conspiciamus fluctibus agitari, jactarique tempestatibus, percellamur rei novitate attoniti, & absurditate turbati. Non aberrat à navicula Petri Christus Dominus, dum ventorum rabie quassabatur: absit timor ne Ecclesiam suam deserat, quam eam Schismatum Heresumque turbinibus infestari subindè permittat. Dormitare videtur eo sine, ut servorum suo-
rum

PRÆFATIO.

rum vigiles, intrepidos & fideles animos, experiatur. Tot ac tanta tempestates, quibus firma Ecclesia navis toties verberata, nunquam fuit eversa, totidem argumenta sunt, quæ probant Christum Dominum esse, qui eam dirigit manu ejus, cui commisit gubernaculum.

Ecclesiam hodie ex his tempestatibus unâ jactari, ne ignoremus, facit Gallia vicinitas. Oppugnantium eam ac defendentium audimus clamores. Periclitari Religionem, inter partes dissidentes non controversitur. Oppugnantes Bullam Unigenitus, omne periculum fidei, ex receptione Bullæ, quam velut Ecclesiæ scandalum depingunt, imminere prætexunt. Defendentes contra demonstrant, Religionem, nisi receptâ Constitutione, salvam stare non posse; idque remedium eò magis esse necessarium, quò amarior efficaciusque Novatoribus apparet.

In hac lucta sententiarum fidelis populus, cui Ecclesiæ adherere fixum est, facem sibi accendi desiderat veritatis. Cùm autem Novatores præendant non esse se ab Ecclesiâ separatos; & pauci de argumentis Theologicis, pro vel contra censuram 101. Propositionum utrimque allatis, ferre possint judicium: fit, ut mul-
torum

PRÆFATIO.

torum suspensi animi culpanda fluctuente dubitatione. Hæc me causa impulit, ut aperirem viam brevem ac facilem monstranda etiam simplicioribus veritati: quâ facile discernere possint, quandonam, flagrantibus fidei controversiis, unitas Catholica scindatur, qui sint qui eam scindunt, & sunt Schismatis auctores. Nam cum deprehenditur à qua parte stet unitas, indubitatum est pro qua stet veritas. Ecclesia, inquit S. Cyprianus, domus est Unitatis & Veritatis.

Itaque hujus Tractatus finis & scopus est, tantam fidelibus præferre lucem, ut depulsa erroris caligine judicare ipsimet possint, quandonam formetur Schisma, quâ ratione formetur, & quanto ab omnibus horrore sit detestabile. Felix, si hæc opella utilis esse possit iis, qui in Gallia tuentur Religionem. Nihil mihi propositum fuit aliud, nisi ut munirentur Catholici contra contagionem erroris, detegendo ulcus Schismatis, quod occultatur studiosè, quo facilius per corpus univ-
sum grassetur. Lectorem oro atque obtestor, ut Tractatum hunc eodem, quo compositus fuit, spiritu legat; simulque Dominum obsecro, ut eos cumulet benedictione cœlesti, qui Opusculum hoc pi-
a0

PRÆFATIO:

ac sincero corde pervolverint ; ut sint stu- Ephes. 4.
dentes servare unitatem spiritûs in vin-
culo pacis.

Quicumque hanc Schedam accep-
turi sunt, eos per Sacrosanctam Tri-
nitatem adjuro ut eandem Episcopis,
Presbyteris, Diaconis, Lectoribus,
Laicis quoque Constantinopolim ha-
bitantibus ostendant, ejusque exem-
plum, ad evidentem hæretici Nesto-
rii confusionem iisdem impertiantur.

Euseb. Dorileus in scripto contra Nesto-
rium 1. parte Conc. Ephes. c. 13.

PRÆFATIO

de fidei et morum doctrina in hunc mundum
deinde in hunc mundum in hunc mundum
culo presertim in hunc mundum
Quicquid hanc hanc hanc accepit
tunc hanc hanc per hanc hanc hanc
hanc hanc hanc hanc hanc hanc hanc
Presbyteris, Diaconis, et aliorum
Litteris quibus Constantiopolim ha-
bitantibus oblatum, et hanc hanc
plum, ad hanc hanc hanc hanc
in hanc hanc hanc hanc hanc hanc
Ead. hanc hanc hanc hanc hanc hanc
tunc in hanc hanc hanc hanc hanc hanc



TRACTATUS
DE
SCHISMATE.

CAPUT PRIMUM.
De Natura Schismatis.

§. I.

Schismatis Definitio.

Ecclēsia, Sponsa Christi sine macula, viva est in terris Divinitatis imago; utpote perfectiones Dei præcipuas repræsentans, veritatem, sanctitatem, universalitatem, ac præsertim unitatem: ornamenta quæ Sponsus ei cœlestis exoravit, dicens: *Pater Sancte, serva eos in nomine tuo, quos dedisti mihi: ut sint unum, sicut & nos. Sicut tu Pater in me, & ego in te; ut & ipsi in nobis unum sint.* Unitas, partitim connexionē & harmoniâ, Ecclesiæ tribuit robur invincibile, & quamdam cœlestis pulchritudinis speciem: estque primus character quo

Jo.
x. 11. &
21.

A eas

2 *Tractatus de Schismate.*

eam Constantinopolitani Concilii Symbolum designat, *Unam, Sanctam, Catholicam & Apostolicam Ecclesiam.* Ad hanc unitatem significandam SS. Patres tunicæ eam inconfutuli, atque adeo Jesu Christi corpori compararunt. Quippe Ecclesia, non per umbram figuramque, sed reipsâ mysticum Christi Corpus est. Schisma verò, juxta Græci vocabuli etymon, corporis hujus divisionem significat; membra separat, tollitque harmoniam, per quam unam servatur & robur partium & decor: estque, ut ita dicam, tunicæ illius inconfutulis scissura. Cùm autem Ecclesia non nisi unica esse possit (quoniam Salvator Christus sicut unum naturale, sic non nisi unum corpus mysticum habet) consequens est, ut pars à Christo qui veritas est, divisa, fiat Synagoga erroris. Membrum est separatum à corpore, obnoxiumque corruptioni: ramus est à trunco rescissus, qui igni arefactus destitatur. Quapropter si propriè loqui velimus, Schismatici non dividunt Ecclesiam, quæ suam semper unitatem conservat; sed ab Ecclesia seipfos rescindunt. S. Epiphaniï obser-

Epiph. hæc est 42. circa in it. t. I. p. 303. edit. Petaviana Patrisiensis.

vatio est: *Marcion, inquit, Superbiâ invidiâque percitus, Ecclesiam, ait, vestram ego dissociabo, in eamque Schisma sempiternum immittam. Quod ille revera non mediocriter iniecit: non ita tamen ut Ecclesiam, sed ut se potius ac suos discinderet.*

Juxta has notiones Schisma defini potest: Separatio à corpore Ecclesiæ orta ex superbia membrorum, auctoritati ejus se submittere recusantium, in punctis ad unitatem ejus conservandam necessariis. Ecquæ verò sunt ista puncta? *Nomen Ecclesiæ, inquit S. Chryso-*

Homil. 1. in 1. Cor.

stomus,

Tractatus de Schismate.

3

Stomus, congregationis & unitatis est nomen. Vincula, quibus sibi mutuo nectuntur fideles, sunt unitas fidei, eorundem participatio Sacramentorum, submissio animi quâ inferiores obediunt legitimis Superioribus sub uno Capite Vicario Christi. Quicumque horum vinculorum unum rumpit, ab Ecclesia se rescindit. Atque ita Schisma formatur aut per Hæresim formalem, quâ divisâ fidei unitate sacratissimus arctissimusque quo Ecclesiæ nectimur, nodus dissolvitur; aut per spiritum contumaciæ & rebellionis, quo Ecclesiasticæ auctoritati (quæ juxta D. Thomam principaliter residet in Summo Pontifice) debitum obedientiæ jugum excutitur, ac capitis in membra, fontis in rivum influxus obturatur. *Ecclesia unitas, inquit S. Thomas, in duobus attenditur, scilicet in connexionione membrorum Ecclesiæ ad invicem seu communicatione; & iterum in ordine omnium membrorum Ecclesiæ ad unum Caput.... Hoc autem Caput est ipse Christus, cujus vicem in Ecclesia gerit Summus Pontifex. Et ideo Schismatici dicuntur qui subesse renuunt Summo Pontifici, & qui membris Ecclesiæ ei subjectis communicare recusant.*

2. 2. q. 39.
art. 1.

Hæc partium inter se & cum legitimo Superiore connexio ad conservandam Catholicam unitatem adeo est necessaria, ut si duo Episcopi eandem Sedem occupent, Schisma oriatur. Cum enim alteruter tantum esse possit legitimus Pastor, pars gregis adulterinum Pastorem sequens, Schismatica est. Eatenus autem Schisma est simplex, experisque erroris: estque unum sub duplici Pastore ovile. Sed Schismatis occasione venenum Hæreseos citò diffunditur.

A 3

6. II.

§. II.

In quo Schisma ab Hæresi differat.

Contra
Gaudent.
l. 2. c. 9.
In Epist. ad
Titum c. 3

Sanctus Augustinus hanc Gaudentio differentiam assignat. *Cum Schismaticus sis, inquit, sacrilega discessione, & hæreticus sacrilego dogmate.* Simili discrimine rem declarat Sanctus Hieronymus: *Inter Hæresim & Schisma hoc esse arbitrantur, quod Hæresis perversum dogma habeat; Schisma propter Episcopalem dissensionem ab Ecclesia separetur: quod quidem in principio aliqua ex parte intelligi potest. Ceterum nullum Schisma non sibi aliquam consingit hæresim, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.* Itaque Schisma præcisè in divisione corporis Ecclesiæ, ex quorundam dissensione & superbia membrorum orta, consistit: & si non est hæreseos fructus, brevi origo ejus efficitur. *Ex Schismatis limine, dicit S. Optatus, furiosa hæresis brevè egreditur. Legis effatum est: Accidit ut ex Schismate nata sit Hæresis.* Atque is finis fuit omnium Schismatum, quibus hæctenus lacerata fuit Ecclesia. S. Augustinus definitionem approbat, *quâ dicitur Schisma esse recens congregationis ex aliqua sententiarum diversitate dissensio; hæresis autem Schisma inveteratum.*

Cod. Theo-
dof. l. 16.
t. 6. 14.
In Cres-
con l. 2. c. 7

4. Concil.
Carth. &
Cirtb.

Quamvis autem Schisma aliquo tempore sine hæresi possit esse, tamen quantum ad æternam salutem attinet, eosdem, quos hæresis, effectus habet: cum per hoc non minus quàm per illam ab Ecclesia Catholica separemur, *extra quam nulla est salus.* Verba S. Augustini sunt: *Credimus & Sanctam Ecclesiam, utique Catholicam. Nam & Hæretici & Schismatici congregationes suas Ecclesias vocant. Sed*

Hære-

Tractatus de Schismate. 5

Heretici de Deo falsa sentiendo ipsam fidem violant; Schismatici autem discissionibus iniquis à fraterna caritate dissiliunt, quamvis ea credant quae credimus. Quapropter nec Heretici pertinent ad Ecclesiam Catholicam, quae diligit Deum; nec Schismatici, quoniam diligit proximum.

Aug. de Fide & Symb. c. 10. n. 21.

§. III.

An securos nos reddere possint qui de Schismate suspecti sunt, quòd eadem se nobiscum dogmata tenere prætexant.

LUporum non raro hæ voces sunt sub ovina pelle latentium. Sed etsi de corde sincero illorum verba procederent, securos nos reddere minimè possent; cùm in dogmatum communione esse possint Schismatici. Probatâ fidei puritate, si Ecclesiam scindant, sibi dictum existiment, quod Donatistis respondit Augustinus: *Nobiscum estis in Baptismo, in Symbolo, in ceteris Dominicis Sacramentis. In spiritu autem unitatis, & vinculo pacis, in ipsa denique Catholica Ecclesia nobiscum non estis.* Ad- dimus cum S. Dionysio Alexandrino: *Oportebat nihil non ferre ne Ecclesiam Dei scinderes. Non est martyrium hoc, Ecclesia non scindenda gratiâ toleratum, minoris gloria quàm quod fertur propter idololatria recusationem.* Sanè si dogmatum nobiscum communionem servant, cur non in ceteris omnibus pacis amore consentiunt? Steriles sunt sine hac concordi unitate virtutes. Dicere poterunt cum Donatistis: *Non eo ad adoranda demonia, non servio lapidibus: sed tamen in parte Donati (Quesnelli) sum. Quid tibi prodest non offensus Pater, qui offensam vindicat matrem, id est Ecclesiam.*

Epist. 93. ad Vincent. Rogatistam. num. 46. novæ edit. Epist. Dionysii ad Novatum apud Euseb. Hist. Eccles. l. 6. c. 44.

Aug. enarrat. in Ps. 88. versus finem.

6 *Tractatus de Schismate.*

Fides tamen Schismaticis adhibenda non est, dogmatum communionem jactantibus. Contendebant Pelagiani disputare se salvâ fide. Pelagius & Cælestius, inquit S. Augustinus, *volentes hæreseos astutè invidiam declinare, asserunt, istam (de peccato originali) præter fidei periculum esse quæstionem.* Ut cum Lutheranis convenire Zwingliani viderentur, prætexebant, quæstionem de reali præsentia Corporis Christi in Eucharistia rem nihili ac minutum discrimen esse, indignumque ob quod Christianæ charitatis & concordie vinculum rumperetur. Quibus meritò respondit Lutherus, *Maledicta sit in omnem aternitatem illa caritas, & concordia; eo quod talis concordia non solum Ecclesiam miserè dilacerat, verum etiam more diaboli irridet, & tam illiberaliter aspernatur.* Idem respondere licet Schismaticis prætentam dogmatum communionem obtrudentibus. *Sit inter nos una fides, & illicò pax sequetur, dicebat Ruffino Hieronymus: omittamus hæreticorum patrocinium, & nulla erit inter nos contentio. Eodem fervore quo Origenem (Quesnellum) antè laudavimus, nunc damnatum toto orbe damnemus.*

De peccato orig. contr. Pelag. l. 2. c. 23.

Luth. in defensione Verbi Cænz.

Hieron. adversus Ruffin. l. 3. cap. ult. in Sn. & c. 3.

§. IV.

Quâ divisione Schisma perficiatur.

NON omnis inter Catholicos sententiarum diversitas Schisma facit. Vidimus Sanctorum disputantium ardentis conflictus. Veritas stabat pro parte una: charitas pro utraque. Facile hic tamen quidam & periculosè decipiuntur. Omnes qui re ipsa Schismatici sunt, Schisma se detestari proclamant. Dudum

Dudum sunt ab Ecclesia separati, ac nihilominus eidem se adhærere, aliis & sibi etiam fortassis persuadere conantur. Summi itaque res est momenti, dignoscere, quâ divisione Schisma perficiatur. Res hujus Tractatus decursu se evolvat. En tibi interim principia quædam, quæ haud ægrè admittent Catholici universi.

Manifestum est, Schismaticos esse Episcopos, qui cum subditorum parte aliqua contumaciter rejiciunt decisionem vim legis habentem in Ecclesia: maximè si per annos complures occalluit pertinacia. Non minùs evidens est, Schismaticos esse si Sanctæ Sedi vocetenus Primatum concedentes, ejusdem in universam Ecclesiam jurisdictionem agnoscere, & Canonicis ejus decisionibus cum reliquis Orbis Episcopis submittere se recusent. Vox S. Cypriani est: *Neque enim aliunde hæreses oborta sunt, aut nata sunt Schismata, quàm inde, quòd Sacerdoti Dei non obtemperatur, nec unus in Ecclesia ad tempus Sacerdos, & ad tempus iudex vice Christi cogitatur.* Ex hac S. Cypriani regula statuatur, an Schisma perfecerint Quesnelli defensores, qui Episcopos Pontifici, Presbyteros Episcopis pares facere non erubescunt.

Verùm, inquit partis adversæ scriptores, timor Schismatis non nisi panicus terror est. Pessimum quod potest contingere, est, quod à nobis Roma se separet. Quod si fiat, nunquam tamen ab illa nos separabimus. Quamdiu ipsa se à nobis, non nos ab ipsa nos ipsos separabimus, Schisma nullum erit. Non enim invitè & nolentes Schismatici esse possumus. Fallax serpentis sibilus! An non ergo à S. Sede se separant, qui solemnissima ejus Decreta insulsè rident, neglectim abjiciunt, pertinaciter contemnunt? Lutherus

Epist. 55.
ad Corin.
n. 6.

Scriptum
Episcopis
congrega-
tis obla-
tum.

certè Romanæ Eccleſiæ adhærere ſe teſtabatur, quo tempore fidem Romanam impugnabat. Nullumne erat Schiſma quia ab illo Hæreſiarcha Pontifex ſe ſeparabat? An non erant Schiſmatici Manichæi Pelagianique, quando Eccleſiæ dogmata impugnando omni arte & dolo Catholicę Eccleſię unitatem communionemque ſervare machinabantur? Nemo Schiſmaticum ſe agnoſcit, niſi quando eſſe deſinit.

Sed obſerva Lector cor duplex recentium Schiſmaticorum. Palam ubique proclamant, per Clementinam S. Sedis Bullam fidem everti; ac nihilominus cum eadem Sede unitatem fidei ſe ſervare, & univerſali Eccleſiæ Bullam amplectenti ſe adhærere contendunt. Ipsi ergo ab Eccleſia manifèſtè ſe ſeparant, ipſi ſe ſegregant.

Epist. Judæ



C A P U T I I.

De neceſſitate communionis cum univerſali Eccleſia, ad evitandum Schiſma.

§. I.

Communio cum univerſali Eccleſia eſt medium ad æternam ſalutem prorsus neceſſarium.

Solum Eccleſiæ nomen percellit Sectarios: quod eis in memoriam revocat, tacitèque exprobrat rebellionem, ingrati animi vitium, ſchiſma, obligationemque redeundi in ſinum ejus maternum. Quippe chara-

characteres Ecclesiæ proprii, totidem argumenta sunt, quibus homo quilibet obligatur in ejus communione vivere & mori, qui salutem consequi sperat æternam. Est enim Sponsa Christi: Matris illius communis hæreditatem soli ejus filii acquirunt; à qua servæ & concubinæ filii, hoc est juxta SS. Patrum interpretationem, hæreticorum schismaticorumque divisæ societates sine dubitatione excluduntur. Est præterea ipsum Jesu Christi Corpus: Servator ille Divinus, qui ejus est Caput, nec hic vitam inspirat animatque, nec in cælo coronat nisi ejus membra: quicumque ab hoc corpore sunt rescissi, jam nunc mortui sunt, non secus ac arida sarmenta, quæ à vite divisa igni destinantur. Denique Ecclesia est Jesu Christi in terris regnum, quod Sanguine suo acquisivit: nullos, nisi qui sunt hujus regni, subditos agnoscit: ceteri sunt inimici.

Hanc fidelibus veritatem SS. Patres summo studio inculcârunt. Communis eorum non solum vox est, sed clamor: *Extra Ecclesiam nullam esse salutem: Non habere Deum patrem, qui Ecclesiam non habet matrem: Extra Catholicam Ecclesiam omnia haberi posse præter salutem.*

Quin & ipsi Ecclesiæ hostes professi hoc ei testimonium veritatis reddere sunt coacti. Catechismus Genevensis expressissimis verbis dicit: *Extra Ecclesiam nihil est nisi mors & damnatio. Nec speranda est salus iis qui à communione fidelium separati divisam à corpore sectam constituunt, quamdiu in schismate pertinaciter hærent.* Audiatur & Calvinus: *Extra Ecclesiæ gremium nulla est, inquit, speranda remissio peccatorum,*

nec

4. Conc. Carth. Cyprian. de unitate Eccles. & August. de Symb. & Sermone ad Casariensis Eccles. plebem, n. 6. Apud Motiva conversi Principis Ernesti Mo-

tiv. r. c. 11.
Instit. l. 4.
c. 1.

nec ulla salus. Sic ipsi Novatores damnationis sententiam contra se ipsos pronuntiant. Verum quidem est, eos, ut suos ludant, & se palpent, prætexere, veram Ecclesiam penes se stare, aut ab ea saltem non esse se separatos: sed videamus ipforum hac in re coëcitatem.

§. II.

Quæ Societas appellanda sit Ecclesia Catholica.

Jacob. 1.
Vide re-
plic. Car-
dinalis
Perron. c.
60. p. 52.

Quid Hæretici Schismaticique machinati sunt, ut sibi persuaderent esse se in Ecclesia Catholica? Nonnulli dixerunt, Ecclesiam esse Sectarum omnium in Christum credentium congregationem. Imaginatio hæc est Regis Angliæ in sua ad Cardinalem Peronium responsione. *Ecclesia, inquit, Romana, cujus Græca, Antiochena, Ægyptiaca, Abissina, Moscovica, membra sunt, alia quidem aliis quantum ad doctrinam & veritatem excellentiora, sed tamen Ecclesia Catholica membra, &c.*

Aug. de
Symb. ad
Cathec. l. 1
c. 6. num.
13.

Ita Princeps ille, ad obvelandum Schismatis sui dedecus, ad paradoxum hoc peregrinum recurrere coactus est, ut supponeret Ecclesiam Catholicam Sectarum esse omnium sentinam: cum notissimum sit, Ecclesiam non sinu suo complecti; sed rejicere & impugnare Sectas omnes, quemadmodum ab omnibus Romano-Catholicis impugnantur. *Ecclesia Catholica, inquit S. Augustinus, contra omnes Hæreses pugnans, impugnari potest, expugnari tamen non potest. Hæreses omnes de illa exierunt, tanquam samenta inutilia de vitæ*

vite

vite præcisa : ipsa autem manet in radice sua , in vite sua , in caritate sua.

Alii Sectarii veram penes se solos inveniri Ecclesiam gloriati sunt. At Ecclesiæ veræ proprii characteres , nulli Hæreticorum aut Schismaticorum sectæ quadrare possunt. Hos inter characteres præcipui sunt perpetuitas & universalitas : qui abundè sufficiunt ad demonstrandum solam Romanæ Ecclesiæ Societatem esse veram Ecclesiam.

1. Reliquæ omnes Sectariorum Societates simul cum nomine quo distinguuntur , & cum die natali quo ortæ sunt , præferunt errorum lucentissima argumenta. Patres nostri Lutheranismi , Calvinismi , Jansenismi exordia prima spectârunt : Nos ipsi Quesnelli Sectam formari nascique vidimus. Si primùm apparentibus Novatoribus illis , adhuc secundùm promissa Christi subsistebat Ecclesia ; eccur se ab ea separârunt ? Si interierat , ipsos , ut Augustinus Donatistas , interrogabimus , *De qua terra germinavit ? De quo mari emerfit ? De quo cælo cecidit ?*

Aug. l. 3. de
Bapt. con-
tra Donat.

2. Universalitas , aut (ut nunc nuncupatur) *Catholicitas* , micantissimus veræ Ecclesiæ radius est. Apparet ut fulgur ab Oriente ad Occidentem , à Meridie ad Septemtrionem , vel potiùs , ut lux Solis matutini , universo illuxit Orbi ab ipso nativitatis suæ die ; tituloque *Catholica* à Sectis quibusque aliis meritò semper fuit distincta. Viri Sancti Optatus , Hieronymus , Augustinus hoc titulo , tanquam fortissimo argumento usi sunt adversùs Schismaticos eâ eloquentiâ , quam causæ bonitas animabat. Audi Hieronymum adversùs Luciferianos : *S. Ecclesiam* , inquit ,

Hieron.
per Dial. con-

tra Lucif. per totum orbem diffusam non habet Christus, aut
 Aug. Epist. si in Sardinia tantum habet; nimium pauper fa-
 novæ edit. tus est. . . . Quo modo ad angulum universæ terra
 52. aliàs crucis trophæa collata sunt? Similiter Augusti-
 170. nus, ipsa est, inquit, Ecclesia Catholica, quod
 per totum terrarum orbem diffunditur. Hanc igno-
 rare nulli licet; idè secundum Verbum Domini
 nostri Jesu Christi abscondi non potest. Pars autem
 Donati in solis Afris calumniatur orbi terrarum.

Profectò micantissimus ille radius veram
 Ecclesiam ita reddit conspicuam, ut noctuam
 esse oporteat, qui ad lucem tantam cæcutiat.

Isaias 2. 3. Non potest civitas abscondi supra montem constitu-
 citatus ab ta. . . . Ego enim sum mons paratus in cacumine
 Aug. Epist. montium, ad quem venient universæ gentes. Ec-
 93. novæ clesia, inquit S. Augustinus, certum signum hoc
 edit. num. habet, quod abscondi non potest. Nota est ergo om-
 29. nibus gentibus: pars autem Donati ignota est pluri-
 Ambr. in bus gentibus: non est ergo ipsa.
 cap. 31.

Aug. Ep. Ecclesia tabernaculum est quod Dominus
 52. in sole posuit. Undè de Hæreticorum &
 Contra Schismaticorum cœcitate loquens Augustinus
 Petiliani dicit: Nonne isti palpant in meridie quasi in me-
 Literas 1. dia nocte? Quod quidem omnium Hæreticorum est
 2. c. 104. qui rem manifestissimam in luce omnium gentium
 in fine. constitutam videre non possunt; extra cujus unita-
 Contra tem quidquid operantur. . . . illis nihil prodest ad-
 Parmen. versus iram Dei, quos nec aranearum telæ possunt
 1. 2. c. 3. defendere à frigore.

Testimonia SS. Patrum tam exacta, iis
 quos Ecclesiæ auctoritate premimus, postre-
 mam quâ elabi conantur, erroris viam præ-
 cludunt. Ad novum hi paradoxum confu-
 giunt, dicentes veram Christi Ecclesiam ex
 solis prædestinatis esse coagmentatam. Ve-
 rum quemadmodum citra privatam revela-
 tionem

tionem nemo scire potest mortalium an e prædestinatorum numero sit ; ita an sit veræ Ecclesiæ membrum , & qui sint , pariter ignorare cogetur. Adeoque ubi sit , & quandonam loquatur ea , quam Christus nos audire præcepit , Ecclesia , nemo ne ariolando quidem assequi poterit. Non erit igitur conspicua , seu ut dici solet , visibilis ; & ab universis Patribus , qui hanc nobis internoscendæ veræ Ecclesiæ facem prætulerunt , egregiè decepti sumus. Quantus hîc textitur errorum Labyrinthus !

Concludamus cum S. Augustino ; *Tenenda est, inquit, nobis Christiana Religio, & ejus Ecclesia communicatio qua Catholica est, & Catholica nominatur, non solum à suis, verum etiam ab omnibus inimicis. Velint nolint enim ipsi quoque Hæretici, & Schismatum alumni, quando non cum suis, sed cum extraneis loquuntur, CATHOLICAM nihil aliud quàm Catholicam vocant. Non enim possunt intelligi, nisi hoc eam nomine discernant, quo ab universo orbe nuncupatur. Et cum S. Hieronymo dicamus, in illa esse Ecclesia permanendum, qua ab Apostolis fundata, usque ad diem hanc durat. Sicubi audieris, eos qui dicuntur Christi, non à Domino Jesu Christo, sed à quoquam alio nuncupari, ut puta Marcionitas, Valentinianos, Montenses, sive Campitas: scito non Ecclesiam Christi, sed Antichristi esse Synagogam.*

De vera
Relig. c. 7.
t. 1. pag.
152. nov.
edit.

Hieron.
contra
Lucif. in
fine.

Non est post hæc necessarium monere lectorem quid censere oporteat de libello ubique sparso sub hoc titulo : *Testimonium Ecclesiæ Parisiensis contra Constitutionem.* Estne Fidei meæ regula Parisiensis , an universalis Ecclesia ? Episcopi duo Olympius & Eunomius
missi

missi Carthaginem ut judicarent quænam oppositarum partium esset Catholica, non examinarunt quænam esset fides Ecclesiæ Carthaginensis, immo Africae totius. Donatus seriem conscripserat faventium sibi Episcoporum & Presbyterorum, eamque multò numerosiorem quàm ostentare possint hoc tempore inimici Constitutionis. De quibus S. Optatus, *L. 1. n. 26.* dixerunt, inquit, *illam esse Catholicam Ecclesiam, qua esset in toto orbe terrarum diffusa.* Si in disputationibus regula fidei vestrae esse debeat Ecclesia Parisiensis, Ecclesia Londinensis & Genevensis debuit esse regula fidei eorum, qui hisce in civitatibus, tunc cùm nasceretur Schisma, morabantur.

§. III.

Fidei interioris unitas non sufficit ad communionem cum Ecclesia Catholica.

Sicut Ecclesia est visibilis, ita nexum quo ei adstringimur, visibilem esse oportet. Suprà ostendimus, nobiscum in universis fidei punctis convenire posse Schismaticos. Ecce ergo non sunt membra Ecclesiæ, si eadem cum illa credant? Ratio est, quòd communionem cum illa non fervent: quòd Ecclesiæ Legibus submittere se nolint: quòd jurisdictioni ejus se subducant: & his de causis ruperunt nexum unitatis. Si unquam Schisma quoddam plausibile & quadamtenus excusabile videri potuit, fuit illud Luciferi in Sardinia. Fatetur S. Ambrosius Episcopum illum, pro causa fidei exulem nil nisi doctrinam orthodoxam discipulis suis instillasse.

Verba

Verba Ambrosii sunt : *Quamquam pro fide exulasset , & fidei sua reliquisset haeredes.* Nihilominus nec S. Hieronymus , nec S. Ambrosius , nec univèrsa Ecclesia credidit , salvari quemquam posse qui Factionem Luciferi Schismaticam sequeretur ; immo nec fidem ejus perstare posse illibatam. S. Ambrosius de fratre suo S. Satyro sermonem instituens , ait : *Non putavit tamen fidem esse in Schismate. Nam etsi fidem erga Deum (Luciferiani) tenerent , tamen erga Dei Ecclesiam non tenebant , cujus patiebantur velut quosdam artus dividi , & membra lacerari. Etenim cum propter Ecclesiam Christus passus sit , & Christi Corpus Ecclesia sit ; non videtur ab his exhiberi Christo fides , à quibus evacuatur ejus passio , corpusque distrabitur.*

Ambr. de excessu fratris sui. Nov. edit. c. I. p. 1127.

§. IV.

Communio cum Ecclesia exterior non sufficit.

Sola exterior cum Ecclesia communio ; apparentes , non veros Catholicos facit. Oportet præterea ut interior animi sensus eidem nos uniat . tum fidei ab ipsa acceptæ integritate , tum supremæ ipsius auctoritatis reverentia & agnitione. Quæ si desint , exterior communio larva est Hæreseos , & ars seducendi. Quapropter si quis Novator proscriptas ab Ecclesia sententias animo occulto retineat , non habet re ipsâ cum Ecclesia communionem , tametsi exteriori specie ei adherere videatur , & Sacramenta vel accipiat vel administret. Lupus est larvatus , qui ut magis noceat , in ovili se occultat. Manichæi pertinacissimè ambiebant sinu Ecclesiæ

con-

Aug. de
peccato
orig. c. 17.
In præf. ad
lib. sub
nota.
Apud præ-
dest. hæres.
88.

concludi, ut in arteriis venenum. Hos imitati Pelagiani, nunquam facere voluerunt apertum ab Ecclesia divortium, constanterque Catholicam communionem affectarunt. Hâc arte tanta simplicium facta est seductio animarum. *Multi*, inquit Augustinus, *eos propterea sectabantur, quia catholicae communioni videbant esse sociatos. Conservabant*, inquit Marius Mercator, *proprias in sinu Ecclesie sententias, quasi Catholici essent: nec communionem, inquietabant, differimus, sed opinione.* Hanc Pelagianorum praxim hodie dum sequuntur Jansevistæ. Hæreses omnes, quantumvis oppositos sectentur errores, in hac fallendi arte conveniunt. Sed fucis ejusmodi atque dolis non capiuntur Catholici sagaces & experrecti. Non ignorant, ipso facto coram Deo excommunicatos esse eos, qui doctrinam damnatam ab Ecclesia, & hæreticam declaratam mordicus tueri pergunt: nôrunt, ab Ecclesie communionem re ipsâ rescissos esse, quamvis nullo speciali & publico Decreto rescindantur, & per conniventiam vel impotentiam Pastorum tolerantur ad tempus, & exteriori gaudeant communionem fidelium.

§. V.

Exiguus Episcoporum manipulus à reliquis Orbis Episcopis quoad definiti dogmatis adhesionem separatus nullam habet cum Ecclesia communionem.

HÆc est ex stabilitis jam principiis legitima & necessaria consecutio. 1. In Ecclesia Catholica non potest esse nisi una fides; &

& qui hanc fide carent, hoc ipso Schismatici sunt & Hæretici. Atqui manipulus Episcoporum exiguus à reliquo Episcoporum corpore dogmaticam Constitutionem amplectente divisus, & definitas propositiones velut totidem errores rejiciens, quas reliqui Episcopi omnes tanquam Ecclesiæ doctrinam admittunt, non habet unam eandemque cum ceteris Episcopis fidem: Ergo nec eandem cum illis communionem habet; cum fidei unitas fundamentum sit, in quo unitas communionis fundatur, vinculum quo conjungitur, nexus quo copulatur. Fateri igitur oportet, exiguum hunc Episcoporum numerum esse ab Ecclesia separatum; aut contendere, penes hos paucos, exclusis mundi Episcopis, Ecclesiam subsistere. Quo paradoxo omnia verè fidei indicia toties & tam graviter à SS. Patribus delineata prorsus evanescent, universalitas & visibilitas Ecclesiæ destruitur, Ecclesiæ à Christo promissa penitus evacuantur.

2. Etsi Episcopi illi interiorem fidei unionem fervarent, eo ipso quo Canonice Ecclesiæ decisioni resistunt, ejus legibus submittere cervicem & parere recusant, auctoritatem non agnoscunt; divisionem faciunt non minus Schismaticam: id quod sequentibus Capitibus patenter elucescet. Dicamus interea ipsis, quod olim Felici & Elipando dixit Carolus Magnus: *Vos igitur quia pauci estis, unde putatis vos aliquid veriùs invenire potuisse, quam quod Sancta universalis toto orbe diffusa tenet Ecclesia? Sub tegmine alarum illius requiescite, ne vos avida diaboli rapacitas, si foris inveniatur, nefando gutture devoret.*

Epist. Caroli Magni ad Elipandum t. VII Concil. Labb. p. 1054.

Dicamus candidè quod res est. Quomodo, **B** obse-

obsecro, in præsentī causa dubitari potest an
 Constitutio *Unigenitus*, iudicium, consensio,
 & doctrina sit Ecclesiæ? Galli iudem, qui
 Pontificiam auctoritatem maximè omnium re-
 strinxerunt; nihil hæcenus præter tacitam
 acceptationem requisiverunt, ut Decreta
 S. Sedis Dogmatica inter fidei regulas cense-
 rentur. Producta sunt hac de re testimonia
 ipsorum irrefragabilia. Tam ergo evidens est,
 Bullam ab Ecclesia esse receptam, quàm est
 evidens, contra e. m. 14. aut 15. duntaxat
 Episcopos recl. masse. Sed priorem confes-
 sionem resorbuit instabilis error. Silentium
 mundi Episcoporum non erat satis: positiva
 tandem & formalia testimonia requisita sunt.
 Prælati Catholici, tametsi ejusmodi testimo-
 nia ad confirmandam roborandamque Con-
 stitutionem censerent minimè necessaria, uti-
 lia tamen judicant ad convincendum con-
 fundendumque errorem. Ea ab orbis Chri-
 stiani Metropolitanis postularunt; qui omnes
 Suffraganeorum suorum nomine responde-
 runt: *Anathema iis qui Constitutionem non ad-
 mittunt.* Testimonia hæc uno volumine edita
 sunt, ac publici juris facta: monumentum
 quo nullum illustrius completiusque in Hi-
 storia Ecclesiastica occurrit: Monumentum
 S. Sedi honorificum & gloriosum, quo ejus
 auctoritas in summum à Christo apicem eve-
 cta ab universis Episcopis agnoscitur: sed
 monumentum, istorum qui hæc testimonia
 requisiverunt, memoriæ ignominiosum, ma-
 ximè si in pertinacia obdurescant.



CAPUT III.

De necessitate communionis cum
S. Sede ad evitandum Schisma.

§. I.

S. Sedes est unitatis Catholica centrum.

Commune est, ut in circulo, sic in Ecclesia centrum, quo, ut Galliarum Episcopi loquuntur, omnes lineæ rectæ terminantur & coeunt. Fons est in Ecclesia abundantissimæ ac limpidissimæ veritatis, à quo diversi Traditionis rivuli scaturiunt, & in particulares Ecclesias se effundunt. Est & Cathedra principalis & eminens, ex qua fideles omnes fidei morumque doctrinâ imbuuntur. Hoc unitatis centrum, hunc fontem veritatis, hanc Cathedram omnium magistram, non esse aliam quàm Cathedram S. Petri & Apostolicam Summi Pontificis Sedem, Catholici uno ore fatentur. Hæc est mons ille mysticus, supra quem Ecclesiam suam Christus fundavit, erexit, & in conspectu omnium Nationum posuit. Hæc est solidissima illa rupes cui superædificata est Ecclesia, dicente Christo: *Tu es Petrus, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam.* Ad quæ Augustinus: *Solus, inquit, Petrus inter Apostolos hoc meruit audire: dignus certè qui ædificandis in domo Dei populis lapis esset ad fundamentum, columna ad sustentaculum, clavis ad regnum.*

Serm. 29.
de Sanctis
edit Lov.
Docto-
rum.

Apostolica Sedes est velut Ecclesiæ fundamentum, lapisque cui adhærere & incumbere



Lib. 2.
num. 2.Epist. 45.
ad Corne.
lium Pa-
pyr. Maſ-
ſon. in Ju-
lio III.

bere neceſſe eſt ceteros lapides, ut ædificiũ perennaturum exſtruatur. Eſt juxta S. Optatum Milevitanum *Cathedra in qua ſola unitas conſervatur.* Eſt juxta S. Cyprianum *Eccleſiæ Catholica velut radix & Mater.* Eſt juxta S. Leonem & Cyprianum *ſons unitatis Sacerdotalis, pacis Eccleſiaſticae vinculum, nodus unionis,* & juxta nervoſam Orientalium Neſtorianorum expreſſionem ad Julium Papam III. *Cingulum & ligamen quo fidelium corpus unitur.*

Quam ob rem Concilium Nicænum ſta-
tuit, ut in Synodalium Epistoſularum forma,
quæ erant velut Catholicae communionis ſig-
gilla, poſt expreſſam initialem literam no-
minum trium SS. Trinitatis Perſonarum, ex-
primeretur initialis litera nominis S. Petri: ut
haſce notas præferentes Epistoſe, teſtes eſſent
communionis cum S. Sede centroque unita-
tis: ſine quo teſtimonio, ab Eccleſiis nefas
eſſet quemquam admitti.

§. II.

*Quisquis à S. Sede ſeparatur, ſeparatur
ab Eccleſia.*

Optat. 1.2.
& Cypri.
de unit.

RES manifeſta non eget argumentis. Cla-
rum eſt, ſeparari à corpore, qui à ca-
pite vivo avellitur. Non citiùs areſcit *ramus
decisus à radice*, nec *ſcaturiginis intercepta com-
municatione rivus ſiccatur*, quàm ab Eccleſia
Romana diviſæ Eccleſiæ particulares Catho-
licitatis ſigillum amittant. In Patrum doctiſſi-
morum lucubrationibus, ipſiſque Catechiſ-
mis, certiffimis Traditionis canalibus, vera
ſemper Eccleſia appellata fuit *Catholica, Apo-
ſtolica*.

stolica, Romana. Roma Christiana dicenda est patria omnium fidelium, quemadmodum *Ro-* Callist. D.
ma Pagana omnium hominum olim patria fuit. 1. 48. t. 2.
1. 19.

Omnis Catholicus Romanus est: est enim Ecclesia mater, cujus omnes filii sumus. Si ergo Episcopi cujuscumque, aut Ecclesie particularis fides à fide differat Ecclesie Romanæ; hoc ipso censendum, Episcopi istius aut particularis Ecclesie fidem non esse Catholicam, *quæ semper est*, Illustrissimo Bossutio teste, *fi-* Oratione
des Romana. ad Con-
gregat.
1682. p.
18.

Communi SS. Patrum suffragio res eadem est; cum S. Sede servare communionem, & membrum esse Catholicæ Ecclesie. Illustre nobis de hac re S. Ambrosius in S. Satyro fratre suo exhibet exemplum. Cum ope Divinæ Eucharistie quam de collo suspenderat, è naufragio evasisset ad litus, Baptismi suscipiendi avidus, *advocavit ad se Episcopum, nec ullam veram putavit nisi veræ fidei gratiam, percontatusque ex eo est utrumnam cum Episcopis Catholicis, hoc est, cum Romana Ecclesia conveniret? Et forte ad id locorum in Schismate regionis illius Ecclesia erat.* Judicabant ergo fratres illi Sancti Satyrus & Ambrosius, non habere eos communionem cum Ecclesia Romana, quicumque cum Catholicis Episcopis communionem non habent.

S. Eulalius Episcopus Syracusanus ejusdem fuit sententiae, quando S. Fulgentio dissuasit iter coeptum prosequi, quo in desertis Thebaidos vitam orationibus, vigiliis, inedia, ceterisque austeritatibus consecrare meditabatur. *Rectè facis, respondit Episcopus, cupiens meliora sectari: sed scis, quoniam Deo sine fide impossibile est placere. Terras, ad quas pergere* Vita Ful-
gent. ab
ipius discip. scrip-
conclu.

22. *Tractatus de Schismate.*

ta apud
Bolland.
1. Januarii
cap. 12.

*concupiscis, à communione Beati Petri perfida dis-
sensio separavit. Omnes illi monachi, quorum pra-
dicatur mirabilis abstinentia, non habebunt tecum
altaris Sacramenta communia. Quid ergo proderit
jeuniis affligere corpus, ubi solatiis spiritualibus in-
digebit anima, quae multo melior est corpore? Re-
vertere fili, ne vitæ melioris intuitu, periculum
rectæ fidei patiaris.*

Non respondit S. Fulgentius viros sanctos esse, qui istas solitudines incolunt. Ut intel-
lexit separatos esse à S. Sedis communione,
miseros & infelices Schismaticos est detesta-
tus, non ignorans inutilis poenitentiae præ-
mium esse damnationem. Itaque postquam
debitam S. Sedi reverentiam obedientiamque
ante sepulchra Apostolorum renovaverat, in
Africam est reversus.

Theodor. Hist. Ec-
cles. l. 5. c. 2
Libellus
fidei Joan.
Constant.
ad Hor-
misd. r. 4.
Concil.
Labbean.
p. 1488.

Eadem veritas causa fuit, cur Gratianus
Imperator lata lege mandaverit, *Sanctas Ec-
clesias tradi his, qui Damasi communionem am-
plecterentur, & Joannes Patriarcha Constan-
tinopolitanus in fidei professione ad Hormis-
dam Pontificem missa dixerit: Sequentes in
omnibus Sedem Apostolicam, & predicamus omnia
quæ ab ipsa decreta sunt, & propterea spero in una
communione vobiscum, quam Apostolica Sedes pra-
dicat, me futurum, in qua est integra Christiana
religionis & perfecta soliditas. Promittentes in se-
quenti tempore sequestratos à communione Ecclesia
Catholica, id est, in omnibus non consentientes Se-
di Apostolica, eorum nomina inter sacra non reci-
tanda esse mysteria.*

A& 8.
Concil.
General.

Octavum Concilium Generale, antequam
Schismaticos ad Ecclesiae sinum revertentes
admitteret, exegit ut fidei formulæ iisdem
ferè terminis conceptæ subscriberent. Promit-
tentes

rentes etiam, sequestratos à communione Ecclesie Catholicae, id est non consentientes Sedi Apostolicae, eorum nomina inter sacra non referenda esse mysteria. Hæc est perpetua veræ conversionis tes-tera eorum, qui à Schismate ad Ecclesie gremium & unitatem recurrunt.

Hanc præscribit Schismaticis S. Cyprianus. Quippe Antoniano rescribens, *Accepi, inquit, Epist. 52. primas literas tuas, Frater charissime, concordiam collegii Sacerdotalis firmiter obtinentes, & Catholica Ecclesie coherentes, quibus significasti cum Novatiano te non communicare, sed sequi consilium nostrum, & cum Cornelio Coepiscopo nostro unum tenere consensum. Scripsisti etiam, ut exemplum earumdem literarum ad Cornelium mitterem, ut jam sciret, te secum, hoc est cum Ecclesia Catholica communicare.*

Hanc præscribit S. Gregorius in formula juramenti, quod facere oportebat Episcopos à Schismate ad unitatem redeuntes. *Ego * * * Gregor. Epist. 31. l. 10. vet. edit. t. 2 n. E D. p. 1300. Divina gratia duce reversus sum. Et ne prava mente, seu simulate reversus existimer, sub mei ordinis casu spondeo, & anathematis obligatione, atque promitto tibi, & per te Sancto Petro Apostolorum Principi, atque ejus Vicario Beatissimo Gregorio, vel Successoribus ipsius, me nunquam quorumlibet suasionibus ad schisma... reversurum; sed semper me in unitate Sancta Ecclesia Catholica, & communione Romani Pontificis per omnia perman- surum.*

Hanc præscribit Clerus Gallicanus in Epi- stola ad Innocentium X. *Sanctitas sua non igno- Epist. vat Regni Christianissimi Episcopos semper S. Sedi Cleri B A fuisse*

24 *Tractatus de Schismate.*

Gallicani
25. Octo-
bris 1650.

fuisse unitos, ratione amicitia, tanquam fratres; reverentia & obedientia, tanquam filios; communionis ejusdem fidei, tanquam orthodoxos. Quibus verbis declarat non censendos orthodoxos, qui communionem cum S. Sede dissolvunt.

Celeberrimus pariter ac Illustrissimus Bossuet. i. Instr. circa promiss. facta Ecclesiae p. 97. futius rem eandem clarissime asseverat. Tantum opus est, inquit, rationis usu & fide bona, ut confiteamur Christianam Ecclesiam ab ipso sui exordio communionem cum Cathedra S. Petri velut unitatis sua tesseram ostentasse; in qua reliqua Sedes omnes unitatem conservarunt: cui adherentes, quemadmodum adhaeremus, corpus illud constituimus, quod à dextris & à sinistris precipites labi vidit eos, qui sese ab hoc corpore separarunt.

L. 2. n. 3. Hæc veritas tam est manifesta, ut S. Optatus vera se esse in Ecclesia ostenderit, quia Ibid. n. 3. & n. 8. cum Syricio Papa, tunc sedente, communionem habebat, cum quo, exceptis Schismaticis, ceteri orbis Episcopi literis fidem ipsorum & obedientiam testantibus communicabant. Addit, præcipuam hanc esse Catholicæ Ecclesiae notam, ex qua reliquæ omnes consequuntur.

Argumenti hujus nervis ita stringebantur Donatistæ, ut evulgare coacti fuerint, habere se Romæ Episcopum Donatistam, qui istius Ecclesiae Sedem clam occuparet. Non aliter, quàm hoc fuco crediderunt declinare se posse invidiam, justamque exprobrationem, quòd unitatis Cathedrâ, Catholicæque communionis sigillo carerent. Integro opus esset volumine ad citanda SS. Patrum testimonia, quibus probant, hoc ipso non esse nos membra Ecclesiae, quo à S. Sede separamur, juxta hoc

hoc S. Leonis effatum, quo ait ita à Domino Epist. 89.
ad Epif.
Prov.
Vien. totius Ecclesiæ caput constitutum esse Petrum, ut exortem se mysterii intelligeret esse divini, qui ausus fuisset à Petri soliditate recedere.

Ne permittes, obsecro, gloriose Apostolorum Princeps, ut Pastores falsi nos dividant ab illa Cathedra, quam erexisti & fundasti ut centrum unitatis. Tibi uni præcepit Servator ut in fide confirmes Fratres tuos: populos instructurus tuam unius conscendit navem. Fac ut cœlestis illius Magistri semper audiamus vocem, quæ per Successorum tuorum ora auribus nostris insonat. Non terreat aut dejiciat animos nostros tempestas, quâ navicula, cujus gubernaculum tenes, agitata periclitari videtur. Probatâ fidei nostræ constantiâ, Dominum, qui dormire videtur, excitabis, & imperabit ventis & mari.

§. III.

*An communio cum S. Sede servari possit,
non servatâ communione cum Summo
Pontifice ex Cathedra docente.*

Schismatici recentes ad miserum recurrunt effugium, ne exasperent corda fidelium, quibus superstes antiquæ Religionis vestigium reverentiam adhuc aliquam erga Cathedram S. Petri obedientiamque inspirat. Coacti agnoscere exclusos se esse à communione Pontificis, à quo Schismatici declarantur; simplicioribus imponentes prætexunt, permanere se in S. Sedis communione; quasi scilicet communio cum S. Sede diversa foret à communione cum Summo Pontifice & Ecclesia Romana.

Hæresi

Herefi omnium vaferrimæ reservatus fuit hic novæ frivolæque distinctionis cavillus, omnibus retrò hæreticis ignotus. An ergo communio cum S. Sede vagum quid est, & inane sine re nomen? An Sedes ipsa materialis est quæ fideles docet, & cum qua ipsi communionem servant? An non is potius qui Sedem replet, docetque fideles *ex Cathedra*? Si fieri possit ut quis servet communionem cum Romana Ecclesia, & tamen à Pontificis Clerique Romani communionem divisus sit; fieri pariter poterit ut quis servet communionem cum Ecclesia universali, & tamen divisus sit ab omnibus Episcopis, particularium Ecclesiarum Sedes occupantibus: ex quibus universalis Ecclesia coalescit. Observa Lector paradoxum: erit quis in communionem Ecclesiæ Constantinopolitanæ, & tamen ab ejus Patriarcha, Clero & populo recessus erit. Quorsum temporis dispendium, ut absurdum hoc evolvamus? Maxima testimoniorum pars, quibus probatum est communionem cum S. Sede servari debere ab iis qui Schismatis declinare volunt infamiam, communionis necessariæ cum Romano Episcopo expressissimam facit mentionem. Jure igitur S. Petrus Damianus Summo Pontifici dixit: *Quia vos Apostolica Sedes, vos Romana estis Ecclesia, ad deponendum reddendumque quod bajulare nequiveram, integrum mihi visum est non adire fabricam lapidum, sed eos potius, in quibus viget ipsius Ecclesiæ Sacramentum.*

Dam. ad
Alex. II.
Ep. I. l. I.
inter opus-
cula optu-
culo 20.
cap. 2.

Nullane igitur Pontificem inter & S. Sedem intercedit distinctio? Immo ea, quæ Cathedra à Doctore, Tribunal à Judice, Sedes ab Episcopo differt. *Aliud sunt Sedes, inquit S. Leo,*

S. Leo, *aliud Præsidentes.* Nihilominus nullum omnino esse contendimus inter S. Sedem & Pontificem *ex Cathedra* docentem discrimen. Casus duntaxat unicus est, quo Sedi, non autem Pontifici uniri posse videmur: nimirum si Pontifici manifestam hæresim docenti universa se opponeret ac reclamaret Ecclesia. Sed tunc Sedes vacaret, & Papa propter manifestam hæresim Papatu excidisset. An casus iste stantibus Christi promissis possibilis sit, non est hic inquirendi locus. Hoc certissimum est, nullâ hodie veri specie distingui posse inter eam quam cum Pontifice & S. Sede habemus communionem; cum non tantum Clerus Romanus dogmaticæ, de qua agimus, Decisioni adhæreat, verum etiam Ecclesiæ Italiæ universæ; ne quid dicamus de concordi ceterarum Orbis Catholoci Ecclesiarum consensione, quam ignorare non possunt nisi qui oculos claudunt manifestissimæ veritati.

§. IV.

*Quandonam censendus quis sit à S. Sedis
communione divisus.*

UNITAS fidei primarium est Catholicæ communionis vinculum. Quicumque ergo palam apertèque jactant, in dogmatica S. Sedis Constitutione reperire se varios contra fidem errores; plures ex propositionibus à S. Sede damnatis tanquam erroneis, totidem esse veritates; quippe Constitutionem (quæ, etiam juxta principia illorum qui Pontificiam auctoritatem maximè restringunt, veræ fidei norma & regula est) admittere

mittere pertinaciter recuſant : evidentiffimum eſt eos cum S. Sede non eãdem fide conjungi, & conſequenter ab ejuſdem communionẽ ſeparari. Errori cum veritate nullum eſt commercium.

Hoc nixus principio Miniſtris Caretonii reſpondit Cardinalis Richelius : *Ex deciſione quam petitis, evidens ſequeretur Schiſma, ſtabiliendo articulum fidei Eccleſiis Gallicanis proprium, & non communem Eccleſiæ univerſali: unde diviſio fidei ſequeretur.* Et ante hunc Cardinalis Perronius de eadem materia dixerat:

Purſi fi-
dei præ-
cept. p.
221.

Orat. Car-
din. Perr.
ad ſtat. us
in monu-
ment.
Gleri.

Si communionis Eccleſiaſticae fundamentum eſt unitas fidei, & rerum ad ſalutem pertinentium: quã ratione credere, & jurejurando poſſumus affirmare, Pontificem reliquamque Eccleſiam in fide & rebus ad ſalutem pertinentibus errare, & doctrinam tradere impiam & verbo Dei contrariam, & conſequenter hæreticam; niſi nos ab eorum communionẽ ſeparemus, eoſque, quantum in nobis eſt, maledicto & anathemati ſubjiciamus, & ſic Eccleſiam dividamus, aut nos potius dividamus ab Eccleſia? Irrefragabilia ſunt hæc principia. Non examino an ab iſtis Cardinalibus hæc principia ad propoſitam ſibi materiam rectè applicata fuerint: ſufficit applicationem eſſe juſtiſſimam, quando ad dogmaticam S. Sedis Conſtitutionem referuntur. Quiſquis credit Conſtitutionem hanc ſcatere erroribus, fidem cum S. Sede non habet eandem, & conſequenter eſt ab ejus communionẽ reſciſſus.

Alterum Catholicæ unitatis vinculum eſt, harmonia quã membra capiti, quantum ad Eccleſiaſtici corporis regimen attinet, debito ordine ſubjiciuntur. Quiſquis igitur publicè & pertinaciter Pontificiæ jurifdictioni ſe

se subtrahit; quisquis in rebus fidei excusso obedientiæ jugo censuras & excommunicationem S. Sedis incurrit; communionem cum eadem Sede Catholicam sine dubitatione amittit. Obsisti quandoque potest, ne coram humano Tribunali censuræ ejusmodi publicentur, mandenturque executioni; at nullâ hominum potestate fieri potest ne vim valoremque obtineant ante Tribunal Dei. Speciosè quidem, sed fallaciter profiteberis servare te S. Sedis unitatem, ac debitam ei reverentiam exhibere. Protestationes illæ non sunt nisi lacrymæ crocodili, vocesque hypocritarum ad fallendum seducendumque simpliciores peropportunæ. Photius atque Lutherus multo post rebellionem suam tempore eandem cantilenam cecinerunt: Sanctusque Hieronymus de Antiochenæ Ecclesiæ divisione ad Damasum Papam scribebat: *In tres partes scissa Ecclesia ad se rapere me festinat.....* Epist. 58. vet. editio.
Ego interim clamito, si quis Cathedra Petri jungitur, meus est. Miletius, Vitalis atque Paulinus tibi herere se dicunt. Possem credere si hoc unus assereret: nunc autem duo mentiuntur, aut omnes. Sapientum est igitur non fidere sermonibus eorum, qui cum de Schismatis lepra suspecti sint, sanitatis unitatisque speciem præferunt. Hoc fraudulento simulationis pallio se obtegunt, ne eos tanquam Schismaticos, si Pontificiæ jurisdictioni palam se subducant, fidelis populus detestetur.



CAPUT IV.

De auctoritate quâ Pontifex declaratos à se Schismaticos & Hæreticos, uti tales haberi voluit ab universa Ecclesia.

§. I.

Judicium de causis majoribus, quales sunt Schisma & Heresis, semper ad S. Sedem delatum fuit.

Petri fides, quæ non deficit, dicebant 1651. octoginta quinque Galliarum Episcopi, jure, ac solemniter perpetuoque Ecclesia more exigente ut ad Apostolicam Sedem causa majores disjuncta referantur. Hoc jus in primatu & jurisdictione quam Christi Vicarius in universa Ecclesia jure Divino exercet, est fundatum, & omnium seculorum Ecclesiarumque praxi sine dubitatione stabilitum.

Concilium Sardicense ad Julium Papam scribit in hæc verba: *Hoc enim optimum & valde congruentissimum esse videbitur, si ad caput, id est, ad Petri Apostoli Sedem de singulis quibusque Provinciis Domini referant Sacerdotes: Et ipse Julius Pontifex ad Episcopos, qui de Sede sua deturbaverant S. Athanasium, scripsit: An ignari estis hanc consuetudinem esse, ut primum nobis scribatur, ut hinc quod justum est desiniri possit?*

Testatur S. Hieronymus de hac consuetudine sui temporis: *Cum in chartis, inquit, Eccle-*

Ep. Conc.
Sardic. ad
Jul. in
fragm.
Hilarii
p. 1290.
nov. edit.
Apud
Athanas.
Apol. 2.
p. 35.
Ad Ache-
ruch. ep.
11.

Ecclesiasticis iuvarem Damasum, Romana urbis Episcopum, & Orientis atque Occidentis Synodicis consultationibus responderem.

S. Augustinus ceterique Africani Episcopi ad S. Innocentium Papam causam Pelagii deferentes scribebant: Non enim rivulum nostrum tuo largo fonti augendo refundimus, sed in hac non parva tentatione temporis, unde nos liberet, cui dicimus: Ne nos inferas in tentationem: utrum etiam noster, licet exiguus, ex eodem quo etiam tuus abundans, emanet capite fluentorum, hoc à te probari volumus, tuisque rescriptis de communi participatione gratia consolari. Quibus significabant, non esse se securos de particularis Ecclesiae suae Traditione, nisi eam ad S. Sedis Traditionem, ex qua tamquam ex fonte purissimo promanaverat, velut ad Lydium lapidem explorarent.

Epist. Aurelii Augustini ad Innoc. apud Garn. in Mercat. t. 1. p. 192.

Respondit S. Innocentius, Antiqua Traditionis exempla servastis, & Ecclesiastica memores disciplina, vestra religionis vigorem... vera ratione firmastis, ut qui de causa ad nostrum referendum approbastis esse iudicium, scientes, quid debeatur Apostolica Sedi. Tum subdit: id vero, quod Patrum instituta Sacerdotali custodientes officio, non censetis esse calcanda, quae illi non humana, sed divina decrevere sententia; ut quidquid in disjunctis remotisque Provinciis ageretur, non prius ducerent finiendum, nisi ad hujus Sedis notitiam perveniret, ubi tota hujus auctoritate, justa qua fuerit, pronuntiatio firmaretur: unde aquas sumerent caetera Ecclesia, velut de natali suo fonte, à quo cuncta procedunt, & per diversas totius mundi regiones puri capitis incorrupta manant.

Epist. Innoc. ad Episc. Conc. Carthag.

Imperatores Catholici auctoritate suâ hanc eandem praxim inviolatam servari voluerunt.

Cod. tit. 1. 3.

luerunt. Non patiemur, inquit Pontifici Justinianus, causas Ecclesie ullas tractari, quantumvis manifestas & indubitatas, nisi ad Sanctitatem vestram referantur, qui es Caput omnium Ecclesiarum. Neque aliam ob causam legem hanc de re tulit is Imperator, nisi ut Ecclesie lex observaretur exactius. Scribit in Historia Socrates quod *Canon Ecclesiasticus jubeat, non oportere absque sententia Episcopi Romani, decreta Ecclesiis sancire.* Scribit Sozomenus, *legem esse.... qua pronuntiat acta illa irrita esse; qua prater sententiam Episcopi Romani constituuntur.* Quod de causis majoribus, ac praesertim ad Fidei depositum, unitatemque Ecclesie servandam spectantibus intelligi oportet. Parisiensis Curia, vulgo Parlamentum dicta, in libello supplici Ludovico XI. oblato, de Pragmaticis Sanctionibus agens, agnovit causas ejusmodi S. Sedis reservatas esse.

Socrat.
Hist. Eccl.
l. 2. c. 8.
Sozom.
l. 3. c. 10.

§. II.

Summus Pontifex suprema ac definitiva sententia semper de his causis judicavit.

Pontificis sententia de causis Religionem spectantibus à nullo unquam reformari potuit, neque ab illa ad aliud Tribunal appellari. Si alia deessent argumenta, sufficere deberent celeberrima S. Augustini verba: *Româ rescripta venerunt; causa finita est: error utinam aliquando finiatur!* Centuit Doctor Hipponensis nihil post hanc restare agendum Ecclesiasticæ auctoritati. Res legitimè decisa tunc duntaxat erat seculari Principum gladio: quique ad Concilium appellaverant Episcopi

Serm. 2.
de Verbis
Apost. in
fine nov.
edit. q.
131.

copi octodecim, vocantur à S. Augustino Lupi, ubicumque apparuerint, conterendi.

Ceteri Ecclesiæ Latinæ Patres in hoc conveniunt: B. Petrum, qui in propria Sede & vivit & presidet, prestare querentibus fidei veritatem. Addunt: S. Sedis fidem puram semper fuisse, semperque futuram: Petro ejusque Successoribus dictum, ut in fide confirmet Fratres suos. Quid hæc aliud significant, nisi latæ ab illis in fidei causa sententiæ omnibus adherendum?

Ecclesia Græca, quamdiu erat Schismatis expers, perfectissime nobis consensit. Justinianus de punctis quibusdam fidei dubiis Hormisdam Papam consulens, ita scribebat: *Hoc enim credimus esse Catholicum, quod vestro religioso responso nobis fuerit intimatum.*

Longiores nos hîc esse non patitur propo- sita brevitatis. Præterire tamen non possumus insigne hac de re Cleri Gallicani nixum Traditionis auctoritate testimonium. Clerus 1653 congregatus declarat, quod Ecclesia Catholica perspectum semper habuerit, judicia pro sancienda Regula fidei à Summis Pontificibus lata, super Episcoporum consultatione (sive suam in actis relationis sententiam ponant, sive omittant, prout illis collibuerit) divinâ aequè ac summâ per universam Ecclesiam auctoritate niti: cui Christiani omnes ex officio, ipsius quoque mentis obsequium prestare teneantur.

Potestne post Declarationem tam manifestam Clerus Gallicanus, nisi Acta sua solem- nissima revocet, arguatque erroris, non cen- sere Hæreticos Schismaticosque, qui dogma- ticam S. Sedis Constitutionem rejiciunt, ma- ximè si ab illorum communionem Pontifex se

L. 4. con-
tradnas
Ep. Pelag.
c. ult.
S. Petrus
Chrysol.
Epist. ad
Eutich.

Epist. ad
Hormis-
dam inter
Hormisdæ
Epist.

Epist. ad
Innoc. X.

separet, declaretque, Schisma istorum pertinaciâ consummatum?

§. III.

Ecclesia semper habuit communionem cum iis cum quibus Pontifex communionem habuit; semper Schismaticos censuit, a quorum se Pontifex communionem subtraxit.

Epist. 17.
ad Gratian &
Valent.
novæ edit.
p. 811. t. 2.

Verba S. Ambrosii sunt ad Imperatores: *Totius orbis Romani caput Romanam Ecclesiam, atque illam Sacrosanctam Apostolorum fidem, ne turbari sineret, obsecranda fuit clementia vestra; inde enim in omnes veneranda communionis jura dimanant.* Hanc veritatem continua argumentorum serie sacra probat Traditionis antiquitas. Pauca è multis profereamus, eaque primò obvia, quia multitudo parit difficultatem optionis.

Athan. de sent. Dionysii nov. edit. t. 1. p. 252.

S. Dionysius Alexandrinus hæreseos accusatus fuit ab illius urbis Catholicis, qui se ab illius communionem segregantes, S. Athanasio teste, *eum apud Dionysium ejusdem nominis Romanum Præsulem accusaverunt. Re comperta Alexandrinus... postulavit à Romano Præsule ut objecta sibi indicarent: quibus acceptis opus edidit sub nomine... Apologia.* S. Dionysius postquam Romæ probaverat fidei suæ integritatem, à populo Alexandrino in communionem Catholicam cum gaudio receptus fuit; qui se ab illo hæreseos suspitione separaverat.

Paulus Samosatenus à Concilio Antiocheno, ex universis Orientis Provinciis coacto, exauthoratus, Sedem suam Domino in ejus locum

locum electo cedere recuſavit. Sed ut Euze-
bius ſcribit, *Imperator Aurelianus*, tametsi pa-
ganus eſſet, *interpellatus*, convenientiſſimè de-
crevit, *illis eam domum Eccleſia* (id eſt Epifco-
patum de quo litigabant) *adjudicari præcipiens*,
quibus Epifcopi Italia & Romæ in dogmate concor-
des ſcribant. Hoc eſt, quem in ſuam commu-
nionem Romanus Epifcopus admittebat. Ita-
que Pauli à Pontificis communionem excluſio,
ſuprema ac definitiva fuit ſententia, quâ ab
Epifcopatu & communionem Catholica exci-
dit. Stephano Papæ ſcribebat S. Cyprianus :
Dirigantur in provinciam & ad plebem Arelate
conſiſtentem à te litteræ: quibus abſtento Marciano,
alius in locum ejus ſubſtituatur. Præclarus hic
Doctor, cujus auctoritatem tanti faciunt
Novatores, ſibi firmiter perſuaſit, ſupremum
jus habere Pontificem excommunicandi ex-
authorandique Epifcopum Galliarum. Joan-
nes II. Sede ſua privavit Contumelioſum Epif-
copum Rejenſem à Gallis Epifcopis accuſa-
tum, curamque Eccleſiæ illius S. Cæſario
Arelatenſi commiſit.

Euzebius ipſe, poſtquam S. Athanaſium in
Concilio Antiocheno de Sede ſua depoſuerat,
depoſitum Romam ad Julium Pontificem mi-
ſit, ut ſuum de Athanaſio judicium confirma-
retur, *utque ipſe in cauſa Athanaſii judex eſſe*
vellet. Romam venit Athanaſius cum Paulo
Constantinopolitano & aliquot aliis Epifco-
pis pariter exauthoratis, ut illic definitivo ju-
dicio cauſa eorum decideretur. *Quorum cri-*
minationes cum Epifcopus Romanus intellexiſſet, &
omnes fidei Concilii Niceni conſentientes reperifſet,
in communionem recepit. Ac cum propter Sedis di-
gnitatem cura omnium ad ipſum ſpectaret, ſingulis

Euzeb.
H ſt. Eccl.
17. c. 30.
edit. Valeſ.
p. 231.

Epif. 67.

Ep. Joan.
II. ad E-
piſc. Gall.
inter Con-
cil.

Socrat. l. 2.
c. 11. p. 89.
edit. Valeſ.

Sozom.
H ſt. Eccl.
l. 3. c. 8.
pag. 507.
edit. Valeſ.

lis suam Ecclesiam restituit. Catholici mox Athanasium Paulumque complexi sunt, trecentique Concilii Sardicensis Episcopi orthodoxi Orientalibus rescripserunt, geminos illos Prælatos non posse se à sua communione removere, cum Julius Episcopus Romanus, causam eorum accuratè cognitâ, illos nunquam condemnasset.

Sozom. l. 3
c. 11. p. 512
edit. Vales.

Eustachius ab Episcopali Sebastena Sede depositus, exhibitis Concilio Thianensi Liberii Papæ Epistolis restitutus est. Sancta memoria Joannem Constantinopolitanum Synodus etiam Catholicorum Præsulum damnarat, quem Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit.

Ep. 13. ad
Episcop
Dardaniæ
t. 4. Con-
cil. Labb.
p. 1203.

Eadem Apostolicâ auctoritate usus S. Leo restituit Flavianum in Conciliabulo Ephesino depositum: cumque Concilio Calchedonensi se sisteret Theodoretus, Patres clamaverunt: *Ingrediatur & Reverendissimus Episcopus Theodoretus ut sit particeps Synodi, quia & restituit ei Episcopatum sanctissimus Archiepiscopus Leo.*

Ad. r.
Concil.
Calched.

E contrario Timotheus, Elurus, Petrus Monius, atque Acacius, tametsi vitâ functi, anathemate percussi sunt quia à S. Sedis communione fuerant separati. Et Mennas Patriarcha Constantinopolitanus in ipsâ Synodo dixit: *Nos Apostolicam Sedem sequimur, & obedimus: & ipsius communicatores, communicatores habemus: & condemnatos ab ipsâ, & nos condemnamus.*

Concil.
Constantinop.
sub
Menna an.
536. act. 4.
finc.

Denique tam constanter in Ecclesia non alii inter Catholicos numerati sunt, quàm quos Pontifex in communionem suam admittebat, ut Theodosius religiosissimus Imperator rem hanc lata lege sanciverit. *Volumus, inquit,*

inquit, ut populi Imperii nostri vivant in eadem fidei communionem, quam Divinus S. Petrus Apostolus Romanos docuit, quamque Pontifex Damasus & Petrus Alexandrinus manifestè sequuntur.

Is ipse Petrus est, quem in Sedem suam Damasus restituerat, ideoque fidem ipsius extollit Theodosius, quia ab Apostolica Sede probata fuerat.

Ex dictis quid concluditur? Nempe eos omnes qui fidei violatæ causâ nominatim à Pontifice sunt excommunicati, aut qui ipso facto incurrerunt excommunicationem in refractarios dogmaticæ Constitutionis lätam, respuendos esse à fidelibus tanquam Schismaticos, & ab Ecclesiæ communionem separatos.

Non nisi infidelis, inquit S. Thomas Cantuariensis, *aut, quod majoris est perfidia, non nisi hæreticus aut Schismaticus est, qui Pontificis decretis parere detrectat*: Maxime quando iis ipsis Decretis commune Pastorum corpus acquiescendo consentit, quod in recipienda Bulla *Unigenitus* contigit. Si hoc fortassis tempore non reputentur Schismatici, qui dogmaticæ Constitutioni refragantur, nulla alia causa est, nisi quòd seductionis ac cæcitatibus spiritus dominetur. Nunquam ad ipsum veniretur Schisma, si Schismatis auctores detractâ larvâ Schismatici agnoscerentur.

Ceterum an ex iis quæ dicta sunt, infallibilitas Pontificis erui possit, non examinamus. Fixum nobis est ab hac quæstione præscindere. Sufficit observasse, horum quæ citavimus pondere & auctoritate testimoniorum Illustrissimum Bossutium, quamquam personalem Pontificis infallibilitatem non admittentem, nihilominus coactum fuisse agnoscere,

Epist. 122.
ad Gilbert
bert
Lond.

in fide definienda infallibilem esse Ecclesiam Romanam. Subtilem hunc controversiarum Scriptorem minimè latebat, fixum & immobile esse debere centrum unitatis, nec sine ruina sep'rari ab ædificio posse Petram, super quam ædificata est Ecclesia. Principium hoc solum abundè sufficit ad ea quæ dicta sunt confirmanda. Sed non est necesse ut eò recurramus ad convincendos & arguendos Schismatis & Hæreseos illos, qui postremam Constitutionem pertinaciter rejiciunt. Quamvis enim in causa fidei nihilo plus auctoritatis Romano Pontifici quàm ceterorum Episcoporum infimo concederent, adhuc propriis principiis armisque debellari possunt. Quippe dum refragantur Constitutioni ab Episcopali Corpore receptæ unâ eâdemque operâ ipsimet infallibilitati & auctoritati Ecclesiæ refragantur.



C A P U T V.

Examīnantur facta quædam historica, quibus se Schismatici S. Sedi & Corpori Episcoporum resistentes, tueri conantur.

§. I.

Factum S. Cypriani.

M Agnis exemplis opus est, ut S. Sedi rebelles se tueantur. Palpant se egregie dum sibi imaginantur, habere se summæ auctoritatis exemplum in martyre totius Africæ gloriosissimo. Notum est S. Cyprianum
Epil-

Episcopum Carthaginensem cum Africanis Episcopis, & S. Firmilianum cum parte non exigua Orientalium Episcoporum censuisse reiterandum esse Hæreticorum Baptisma, non obstante contraria S. Stephani Papæ decisione; qui Firmiliano denunciabat recessurum se ab ejus communione, nisi à sua opinione recederet. Et ex quadam Firmiliani Epistola apparet S. Stephanum eadem S. Cypriano denuntiasse. Interea duo illi Episcopi ab universa Ecclesia honorantur titulo Sanctitatis, quamvis S. Sedis decisione fuerint reluctari. Nullum est igitur Schismatis periculum, etsi separemur à S. Sedis communione, nec doctrinæ ejus adhæreamus. Speciosa apparet prima fronte objectio: quam nullo relicto furore ambiguitatis, radiis serenissimæ veritatis dissipabimus.

1. Non inutilis est observatio, hoc eodem contra S. Sedis auctoritatem objectionis telos fuisse omnes omnium temporum Hæreticos. Donatistæ ad obvelandum Schismatis dedecus eandem argumenti machinam adhibuerunt: quibus Vincentius Lirinensis, & Commo-
nit. c. 11. *verum, inquit, mira conversio! auctores ejusdem opinionis Catholici, consecratos vero Hæretici judicantur.* Calvinus alique Novatores eadem S. Cypriani auctoritate Pontificiam auctoritatem contempserunt. Hoc præjudicio redarguuntur, qui suam hoc exemplo erga Cathedram Petri contumaciam frustra colorare laborant.

2. Ea est humana fragilitas, ut viri quique Sanctissimi prolapsi sint aliquando, culpamque quam commiserant, poenitentiam gloriosam deleverint. Quapropter Sanctorum Cypriani

priani & Firmiliani prolapsio non potest esse iustum imitationis exemplum, nisi probetur, delictum eos pertinaciâ cumulasse : quod nunquam probabitur. Afferit è converso S.

Aug Ep.
93 op. ad
Vincent.
Rogati-
tam num.
33. novæ
edit.

Augustinus : *Correxisse autem istam sententiam Cyprianum, non incongruenter de tali viro existimandum est ; & fortasse suppressum sit ab eis, qui hoc errore nimium delectati sunt, & tanto velut patrocínio carere noluerunt. Quamquam non desint qui hoc Cyprianum prorsus non sensisse contendunt, sed sub ejus nomine à mendacibus fuisse confictum.* Audiatur S. Hieronymus : *Illi ipsi, inquit, Episcopi qui rebaptizandos Hæreticos cum eo statuerant, ad antiquam consuetudinem revoluti, novum emisere decretum. Quid facimus? Ita & nobis majores nostri, & illis sui tradidere majores.*

Contra
Lucifer.

Lib. 8.
quæst. 5.

Cyprianus, Inquit venerabilis Beda, cum suis Coëpiscopis rebaptizandos esse Hæreticos statuit ; sed mox corrigi meruit, atque ad universalem Sanctæ Ecclesiæ normam spiritualium virorum institutione reduci.

3. Ex resistantia S. Cypriani, quâ S. Stephani iudicio est reluctatus, colligi forsan posset non credidisse eum Pontificis infallibilitatem : sed hinc colligi nullo modo potest, non agnovisse eum obligationem submitten- di se decisioni Pontificis, quando ei adhaeret pars numerosior Episcoporum. S. Cypriani sententiæ favebant complura Concilia Africana, aliudque Cæsariæ à S. Firmiliano coactum. Quapropter potuit sibi ad tempus aliquod persuadere, pro se stare Episcoporum pluralitatem.

4. S. Cyprianus, & qui eum excusant Patres, agitatum de rebaptizandis hæreticis con-
trover-

troversiam nihil aliud esse existimabant præter quæstionem disciplinæ, in qua, salvâ fide, quilibet Episcopus sequi poterat receptam in Ecclesia sua traditionem. Ipse S. Cyprianus postquam Stephano Papæ notam fecerat Concilii Carthagenensis de rebaptizandis hæreticis resolutionem, adjungit: *Ceterum scimus quosdam quod semel imbiberint nolle deponere, nec propositum suum facile mutare, sed salvo inter Collegas pacis & concordia vinculo quadam propria qua apud se semel sint usurpata, retinere. Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem dicimus; cum habeat in Ecclesia administratione voluntatis suæ arbitrium liberum unusquisque propositus.* Sancti Augustinus atque Hieronymus laudant hæc S. Cypriani in Concilio Carthagenensi verba, prout ab ipsis citantur:

Neque præscribentes aut præjudicantes, quo minus unusquisque Episcoporum quod putat faciat, habens arbitrii sui liberam potestatem.

Potuitne ita loqui Cyprianus, si inter se & S. Stephanum agitari de fide, & non de sola disciplina, controversiam credidisset? An prædicta S. Cypriani verba, si fidei quæstio fuisset, à Sanctis Hieronymo atque Augustino tantopere laudari potuissent? An contraria inter se dogmata partiri possunt Episcopi? Possuntne fidei unitatem servare cum iis, qui fidem à sua diversam amplectuntur? S. Augustinus resistantiam Cypriani reputabat, quasi nevum sui candidissimi pectoris, quem cooperuit ubere caritatis. Non credidit itaque quæstionem fuisse dogmatis: alioquin Augustino visus fuisset Cyprianus peccasse contra fidem; quem fidei defectum charitas supplere nequivisset.

Epist. 62.
ad Steph.
Papam.

Aug. l. 5.
de Bapt.
c. 17. &
Hieron.
contra
Lucif.

Ep. 93. a
Vincent.
Rogati-
tam n. 40.
novæ edit.

Natal.
Alexand.
Dissert. 12.
iu 3. secul.
art. 4.

5. Qui verò existimant fidei re vera fuisse quæstionem, Cyprianum à fide aberrasse fatentur. Id ipsum Universitas Parisiensis facta est in suo contra Montesonum Tractatu: *Cyprianus erravit in fide, non obstante glorioso Martyrio.* Et Natalis Alexander, cujus, in favorem Pontificis, testimonium non potest esse suspectum, fatetur excusari non posse Cyprianum, si fidei quæstio fuerit agitata. *Si res, inquit, fidei fuisset, non fuisset necessarium universæ Ecclesiæ Concilium ut inexcusabiles essent Africani & Orientales, qui hæreticos rebaptizabant. Siquidem non excusantur qui errorem contra fidem à Sede Apostolica damnatum pertinaciter propugnant etiam ante Concilii OEcumenici celebrationem, ut in causa Pelagianorum videre est, quibus spem Concilii Generalis adimit Augustinus.*

Aug. Ep.
93.

Cyprian.
de Unitate.
c.

Certissimum est igitur, quando fidei quæstio agitur, eos, qui Pontificiæ definitioni resistunt, non posse tueri se S. Cypriani exemplo; quandoquidem qui factum Cypriani excusant, aut fidei non fuisse quæstionem supponant, aut priorem sententiam S. Doctorem retractasse existiment. Si quæ tamen adhuc superest difficultas, liceat nobis cum S. Augustino à facto Cypriani ad ejusdem scripta provocare. Videamus quàm egregiè urgeat necessitatem servandi fidei unitatem cum Apostolica Sede. Ait hæreses & Schismata tunc oriri, *dum ad veritatis originem non reditur, nec caput queritur, nec magistri celestis doctrina servatur. Quæ si quis consideret & examinet, tractu longo atque argumentis opus non est. Probatio est ad fidem facilis compendio veritatis. Loquitur Dominus ad Petrum: Ego tibi dico, inquit, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificam*

adificabo Eccleſiam meam, & porta inferorum non vincent eam. Super illum unum adificat Eccleſiam, & illi paſcendas mandat oves ſuas.... Unam Cathedram conſtituit, & unitatis ejuſdem originem ab uno incipientem ſua auctoritate diſpoſuit.... Primatus Petro datur, ut una Chriſti Eccleſia, & Cathedra una monſtretur.... Hanc Eccleſia unitatem qui non tenet. tenere ſe fidem credit? Avelle radium ſolis à corpore, diſiſionem lucis unitas non capit: ab arbore ſrange ramum, fructus germinare non poterit: à fonte præcide rivum, præciſus areſcet.

§. II.

Factum Liberii Papa.

Sanctitas Cypriani, ad eum excuſandum impulit Catholicos: Liberii verò Sanctitas exacerbatos Novatores impulit ad culpam ipſius exaggerandam. En factum.

Constantius Imperator ſatis animadvertens nunquam ſe Semiarianiſmum, quem protegebat, ſtabiliturum, niſi ipſum Eccleſiæ Caput in partes ſuas attraheret, omnia eum in finem machinatus eſt. Primò itaque Eunuchum Euzebium ad Liberium Pontificem miſit, ut eum, ſi qua arte poſſet, ſeduceret. Adhibitis fruſtra dolis, ad vim ventum eſt. Miſſi, qui eum Româ avulſum Mediolanum pertraherent; ubi Liberius digna glorioſiſſimis Martyribus conſtantiâ eſt locutus. Constantius datis ei ad deliberandum diebus pauculis, cum nihil proficeret, invictum Confefſorem Beræam in Thraciam relegavit. In hoc exilio multis vexatus calamitatibus, multiſque allectus illecebris, omnia cruciantia, omnia blandientia, quorum ſpacio annorum animo invicto ſuperavit.

peravit. Felix si luctam generosissimam perseverantia coronasset! Fractus tandem calamitatibus, diuturnumque exilium pertæsus, Formulæ, in qua verbis ambiguis Hæresis palliabatur, subscripsit; condemnatoque Athanasio, in communionem recepit Arianos. Luctuosa fragilitas! quam excusare non est animus. Demonstremus potius, ex hoc facto nullam Novatores ansam arripere posse resistendi dogmaticis S. Sedis decisionibus. Totidem rei hujusce argumenta erunt reflexiones sequentes.

Prima reflexio. Liberius in fide non erravit; errori non subscripsit, Syrmienti Formulæ subscribendo; damnando Athanasium, Nicænam fidem non condemnavit; denique communicando cum Arianis, Arianismum non est professus. Hæc omnia sunt indubitabilia.

1. Ut constet hæreticæ Formulæ non subscripsisse Liberium, tantum opus est inquirere, primæne anno 351. an secundæ Syrmienti Formulæ anno 357. concinnatæ subscripserit. Postrema manifestè hæretica est, prior verò ab ipsomet S. Hilario ab hæresi vindicatur. Porrò Hilarii ipsius auctoritate facilè demonstratur, Liberium primæ duntaxat Syrmienti Formulæ subscripsisse: cum Hilarius testetur Formulæ Syrmientis, cui subscripsit Liberius, concinnatores fuisse Episcopos viginti duos quos nominat; quorum plures aut fato cesserant, aut procul aberant Syrmio, quo tempore secunda Formula composita fuit.

Eccur igitur S. Hilarius, qui priorem Syrmientem Formulam ab hæresi vindicavit, accusat

cusat Liberium quasi perfidiæ Ariane subscripserit? Ecce dicit *Anathema tibi; prevaricator Liberi!* Nempe quia Liberius prævaricatus est, non quidem Formulæ subscribendo hæreticæ, sed ambiguæ duntaxat atque dolosæ, quæque non ignorabat, ad fucandos errores suos, hæreticos abufuros: & hoc sensu ab Hilario dicitur, perfidiæ Ariane, sive hæresi ambiguis terminis involutæ Liberius subscripsisse. Ceterum non desunt qui librum hunc Hilario cuidam Diacono Luciferiano adscribunt, aut certè existimant Anathemata ista, quæ parenthesi clauduntur, ab alio quopiam deinceps fuisse intrusa.

2. Quod ad damnationem S. Athanasii attinet, quamquam Sancti illius fides vera causa erat motæ in eum ab adversariis persecutionis, aliam nihilominus causam prætexebant. Accusabant eum criminum variorum. Quapropter Liberius subscribendo ipsius damnationi, contra iustitiam quidem, sed non contra fidem peccavit.

3. Communicando cum Episcopis Arianis, non aliud crimen commisit, nisi quòd Catholicos esse putaverit, qui sub dolosa fidei professione involventes errorem, reipsâ hæretici erant; aut, quod est verosimilius, non satis habuerit Christiani pectoris, ut se subtraheret communioni eorum, quorum cognoscebat errores.

Secunda reflexio. Etsi Liberius in fide errasset, ut Catholici nonnulli contendunt, dici tamen non posset errorem docuisse, aut ex *Cathedra* fuisse locutum, proponendo Ecclesiæ canonicum fidei dogma. Non fuisset itaque nisi personalis error, in quem privatim inci-

incidere posse Pontificem fatentur ardentissimi ejus defensores.

Tertia reflexio. Quamquam Liberius errasset & errorem docuisset, in hoc id fecisset rerum occursum, unde in favorem malæ causæ nihil possent concludere Novatores. Crudeles vexationes, minæ, blanditiæ, quibus eum continuo Constantius fatigabat, ademerant ei tranquillæ liberæque voluntatis facultatem. Concilii ipsius Decreta, tyrannicâ ejusmodi crudelitate extorta, nullius hoc ipso centerentur valoris, nec præjudicium facere possent subsequentiis Conciliis, plenâque libertate gaudentibus. Redux ab exilio, pristinaeque libertati restitutus Liberius, acerrimus fuit fidei Nicænæ defensor.

§. III.

Concilium Riminense.

PAUCI numero Episcopi, inquit Novatores, qui temporibus Concilii Riminensis errori se opponebant, non fuerunt Schismatici; sed fidei defensores, erantque velut scintilla quædam à Deo conservata ad resuscitandum Divinæ fidei ignem, quem hæreseos pestifer turbo pœnè exunxerat. Igitur paucorum à multitudine Prælatorum divisio, non est, ut prætenditur, nota Schismatis & erroris. Hanc objectionem Novatores mutuati sunt à Donatistis ac Pelagianis, qui hunc clypeum contra Prælatorum, à quibus damnabantur, numerositatem opposcentes posteris Schismaticis reliquerunt exemplum, quo exiguitatem suam contra innumerabilem Prælatorum multitudinem munirent. Ex sequenti-

quentibus animadversionibus hujus objectionis patebit inanitas.

1. Cum Riminense Concilium, quantumvis numerosum, Liberius qui tunc Petri Sedem tenebat, rejecerit tanquam illegitimum, non potuit non ab Ecclesia velut Conciliabulum contemni. Audiamus quid de prætenso hoc Concilio Liberii Successor Damasus in Romano Concilio Synodali Epistola ad Illyriae Episcopos scripserit. *Neque enim præjudicium aliquod fieri potuit per numerum Arimino congregatum; quando constat, neque Romanum Episcopum cujus ante omnia decebat eos expectare decretum, neque Vincentium, neque alios talibus præbuisse consensum.*

Ep. Syn.
Conc. Ro-
mani ad
Ep. Illyr.
tom. 2.
Concil.
Labb. p.
883.

Hinc proponi potest dilemma hoc Novatoribus. Si pars maxima Episcoporum in fide constans permanferit, nihil hinc habetis præsidii; sin verò pars major fuerit prævaricata, fateri debetis, judicium minoris partis Episcoporum Romano Pontifici unitorum fidei regulam esse, Ecclesiamque ex iis constare.

2. Concilii Riminensis Episcopi nunquam Nicænam fidem deseruerunt. Quin potius hanc tutati sunt ferventer, Valentemque & Ursacium Arianorum primipilos exauthoratos rejecerunt. Sed furori Constantii tandem cedentes, & Arianorum Episcoporum artibus decepti, narrante Severo Sulpitio, *subscripserunt professioni fidei, ambiguis verbis concepta, in qua sub terminis in speciem Catholicis hæreseos venenum latebat. Sonabant verba pietatem, inquit S. Hieronymus, & inter tanta illa præconia nemo venenum insertum putabat. Placuit auferri nomen Usia. Non erat cura Episcopis*

Sev. Sulp.
l. 2. Hist.
Sacra.

de

de vocabulo , cum ſenſus eſſet in tuto. Quapropter Episcopos illos Arianorum perſidia vehementer afflixit , poſtquam animadverterunt , confeſſione fidei , cui ſubſcriperant , abuti ipſos ad ſtabiliendum Arianiſmum. Hujus incautæ ſubſcriptionis occasione , quâ tanto pe-
re Arianitriumphabant , erupit celebris hæc S. Hieronymi vox : *Ingemiſcens orbis terrarum , Arianum ſe eſſe miratus eſt : non quod ita res eſſet , ſed propter doloſæ Profeſſionis approbationem eſſe videretur. Subnectit enim Hieronymus eodem loco : Concurrerant Episco-
pi , qui Ariminenſibus dolis irretiti , ſine conſcientia hæretici ſerebantur , conteſtantes corpus Domini , & quidquid in Eccleſia ſanctum eſt , ſe nihil mali in ſua fide ſuſpicatos Putavimus , aiebant , ſenſum congruere cum verbis.... Decepit nos bona de malis exiſtimatio. Similiter teſtatur de Ariminenſibus Patribus S. Auguſtinus , deceptam fuiſſe ſimplicitatem & ignorantiam Occidentalium. Nunquam ergo re ipſa fuerant Ariani , fidemque ſervaverat Episcoporum pars major.*

3. Concilium Riminenſe non coaluerat ex majori Episcoporum parte , quorum multo plures , qui fidei Nicænæ adhærebant , Sediam ac Eccleſiarum ſuarum curâ diſtenti , ad Concilium non convenerant. Ut ut eſt , Liberius Papa , qui priuſquam Riminenſe Concilium celebraretur , commiſſam à ſe culpam vehementer fuerat deteſtatus , omnium primus Concilii iſtius Acta improbavit. Adeoque ſi qui contendunt , id temporis maximam Episcoporum partem fidem violari , ſi admittant Eccleſiam ſemper eſſe viſibilem , fateri cogentur , ipſum cum minori etiam parte Episcoporum Pontificem , eſſe , ut ſu-
perius

Dialog.
contra
Luciferia
nos.

perius dictum est, centrum unitatis Catholicae, & regulam veritatis: quod satis est ad convincendos confundendisque Novatores.

§. IV.

*De S. Irenaei cum S. Victore Pontifice
conflictu.*

Hanc etiam Quesnelli defensores à Calvino mutuati sunt objectionem ad eludendum auctoritatem & censuras Pontificum: Calvinusque eam accepit ab Euzebio Ariano, & qui Euzebium latinè reddidit, Rufino juratissimo Ecclesiae Romanae hoste. Sed nihil hac objectione frigidius; cui hanc unam ob causam respondetur, quòd hæc toties repetita legatur in Scriptis Novatorum.

Itaque Rufinus narrat S. Victorem Pontificem Ecclesias Asiaticas, in ritu celebrandi Paschatis reliquis Ecclesiis Christianis se conformare nolentes percussisse fulmine excommunicationis. *Victorem, inquit, arguit (Irenæus) quod non rectè fecerit, abscindere à corporis unitate tot & tantas Ecclesias Dei.* Quamquam res ita esset, ut narrat Rufinus, nil hinc contra Pontificis auctoritatem posset concludi. Hanc S. Irenæus & agnoscit & probat: improbat solum; quòd S. Victor hac sua auctoritate non satis urgente necessitate sit usus: contra verò Ecclesia ipsa, Asiaticos illos pariter à sua communione rescindendo, S. Victoris factum approbavit. At Rufinus vertit Euzebium mala fide, apud quem ita legitur: *Victorem verò ne cunctas Ecclesias Dei antiqua consuetudinis traditionem retinentes alienaret, competenter ac multis admonet.*

Ruffin. in
Verf. Hist.
Euseb. l. 5.
c. 24.

Euseb. l. 5.
c. 24. p. 156.
edi. Valet.


D Irenæus,

Irenæus, nomine & re pacificus, existimabat tolerari posse ab usum disciplinæ pacis gratiâ, Victoremque ad dissimulandum conivendumque hortabatur. Pontifex minimè dissimulandum judicavit: ejus sententiam Nicænum deinde & Ephesinum Concilia probare, quando se ab Asiaticis illis, Victoris exemplo, anathematis gladio separarunt. Quarto-decimanos istos Ecclesia ut Hæreticos detestata est, quamquam de sola disciplina quæstio verteretur.

Annot. in
cap. 24.
lib. 8.

Hæres. 70.
c. 9.

Dominus de Valois in suis in Euzebium Notis, S. Victorem minatum dumtaxat excommunicationis sententiam, at non pronuntiasse existimat. Sed oppositum est probabilius, cum S. Epiphanius dicat magnam adeo fuisse litem hanc, *ut Orientales ab Occidentibus avulsi* essent. Ceterum etsi ostendi posset S. Victoris sententiæ non acquievisse quædam Orientis Ecclesias, & cum Asiaticis illis communicasse; probare oportebat jure id ab illis factum esse, idemque hodie fieri posse cum iis qui ob fidei causam anathemate separantur, cum Asiatici isti ob solam disciplinæ praxim fuerint separati. Nihil itaque in hisce exemplis occurrit, quo vindicari à Schismate & Hæresi possint ii, qui se à fidei & S. Sedis communione hoc tempore segregant. Quin potius exempla hujusmodi nullius roboris meritò reputantur, postquam ea adversus Cathedram Petri producta sunt ab omnibus omnium temporum Hæreticis.



CAPUT VI.

Traditio Ecclesiæ Gallicanæ de auctoritate Pontificis & communione cum S. Sede.

§. I.

Sententia SS. Patrum Gallicanæ Ecclesiæ.

Ecclesia Gallicana, hæreditatis Dominⁱ portio pretiosa, maximumque universalis Ecclesiæ ornamentum, minoris gloriæ splendorem accepit à glorioso tot Martyrum sanguine, ab excellenti tot Sanctorum Episcoporum eruditione, quàm à perpetua & inviolabili cum Petri Cathedra communione. Sed, ô tempora! ô mores! Ea ipsa, quibus eam Sedem decorare solet, encomia, spiritu erroris vertuntur hodie in argumentum rebellionis contra Pontificum auctoritatem. Confundamus eam paucis referendo sententias eorum, qui in Ecclesia Gallicana auctoritate, scientia, sanctitate maximè flourerunt: *Interroga Majores tuos, & dicent tibi.* Deut. 32. *Dicent enim vero quæ sit circa debitam S. Sedi reverentiam fides Catholicorum; quæ Gallorum statuta; quæ Christianissimi Regni praxis.* 7. 7.

S. Irenæus primariae Galliarum Sedis secundus Episcopus, fidem quam ab Apostolorum Discipulis acceperat, Gallis proponens, id eos docuit quod à Magistris tantis didi-

L. 3. cap. 3.

didicerat, nempe ad conservandam hanc fidem, omnino unitatem communionemque cum S. Sede necessariam esse. *Maxima*, inquit, & *antiquissima*, & *omnibus cognita à gloriosissimis duobus Apostolis Petro & Paulo Rome fundata & constituta Ecclesia*, eam quam habet ab Apostolis traditionem, & *annuntiatam hominibus fidem*, per *Successiones Episcoporum* pervenientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes (hæreticos.) Ad hanc enim Ecclesiam propter potentiores principalitatem, necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, eos qui sunt fideles, in quo semper ab his qui sunt undique, conservata est ea quæ est ab Apostolis traditio.

Dubitari non potest, quin quatuor primis seculis Ecclesiæ Galliarum Summo Pontifici inseparabili nexu fuerint unitæ. Primi qui Evangelii radiis Gallos illustrarunt Apostoli, à Romano Pontifice missi erant, Sedesque suas acceperant: populique ad fidem primum conversi, grato animo venerabantur Ecclesiam Romanam velut Matrem communem quæ ipsos Christo pepererat.

Hilarius Arelatensis seculo quinto ausus fuerat, absque Pontificis auctoritate, Provinciæ Viennensis consecrare Episcopum. De qua re S. Leo questus est acerrimè: cumque Episcopus ille Apostolicis Decretis submittere se nolle videretur, Valentinianus III. legem mox tulit, Novellis Theodosii II. insertam; quâ patet, quanta tunc fuerint in Galliis Papæ auctoritas. *Erat*, inquit Princeps ille, *sententia Pontificis per Gallias etiam sine Imperiali sanctione valitura. Quid enim tanti Pontificis auctoritati in Ecclesiis non liceret? Sed nostra quoque præceptio & ratio probavit, ne ulterius vel*

Novella
Valenti-
niani. In-
ter Ep. st. 5
Leonis
edit. Quæ
nel. p. 434

Hilario,

Hilario, quem adhuc Episcopum nuncupari sola mansueti Præfulis permittit humanitas, nec cuiquam alteri.... præceptis Romani Antistitis liceat obviare.... Hoc perenni sanctione decernimus, ne quid tam Episcopis Gallicanis, quàm aliarum Provinciarum contra consuetudinem veterem liceat sine Viri Venerabilis Papæ Urbis æterna auctoritate tentare. Sed illis omnibus pro lege sit, quidquid sanxit, vel sanxerit Apostolica Sedis auctoritas.

Hilarius accusatus pedes Romam se contulit, ut vitæ ipsius scriptor testatur. Quo perveniens, Beato Leoni Papæ illico se præsentat, cum reverentia impendens obsequium, & cum humilitate deposcens, ut Ecclesiarum statum more solito ordinaret.... Porro autem si aliud velit, se non futurum esse molestum.

Auctor vitæ S. Hilarii apud Bollandum 5. Maii cap. 3

Post hæc Arelatensis Ecclesia S. Sedi obedientissima permansit: & S. Cæsarius Arelatensis ad Symmachum Pontificem missis Litteris variorum ab eo dubiorum resolutionem postulavit. Verba Cæsarii sunt. *Sicut à persona Beati Petri Apostoli Episcopatus sumit initium, ita necesse est, ut disciplinis competentibus Sanctitas vestra singulis Ecclesiis, quid observare debeant, ostendat.*

Tom. 4. Conc. p. 1294. edition. Labbeanæ.

Notum est quâ reverentiâ Galliarum Episcopi in Synodo congregati dogmaticam S. Leonis Epistolam receperint. Dicere non verentur eam se, ita ut Symbolum fidei, tabulis cordis ascribere.

Epist. Episcop. Gall. ad Leon. inter Epistol. Leonis p. 580. edit. Quenel.

Seculo sexto S. Avitus Episcopus Viennensis ad Hormisdam Papam scribebat in hæc verba: *Et quia securus, non dicam de Viennensi, sed de totius Gallia devotione polliceor, omnes super statu fidei vestram captare sententiam. Orate ut sic nos perditorum professio fucata non fallat, sicut ab*

Epist. 87. ad Hormisdam inter opera Sir-

mondi
tom. 2. p.
130.

unitate quam regitis, veritas comperta non separat.

Epist. 31.
ad Fau-
stum &
Sym-
mach. Se-
nat. ibid.
p. 71.
Conc. Tu-
ron. an.
567. cap.
21.

Aliâ Epistolâ omnium Galliæ Episcoporum nomine scriptâ, auream hanc profert sententiam idem Episcopus Viennensis. *Si Papa, inquit, Urbis Romæ vocatur in dubium, Episcopatus jam videbitur, non Episcopus vacillare.*

Patrum Concilii Turonensis anno 567. vox fuit: *Quis Sacerdotum contra decreta talia, quæ à Sede Apostolica processerunt, agere præsumat? . . . Patres nostri hoc semper custodierunt, quod eorum præcipit auctoritas.*

Epist. 70.
p. 1593.
edit. Paris.

Audiamus Alcuinum, sidus illud fulgentissimum Franciæ. *Ne, inquit, Schismaticus inveniat, & non Catholicus, sequatur probatissimam Sanctæ Romanæ Ecclesiæ auctoritatem: ut unde Catholicæ fidei initia accipimus, inde exemplaria salutis nostræ semper habeamus. Ne claviger regni coelestis abjiciat, quod à suis deviasse intelligit doctrinis. Dicitque alio loco, moveri se Romanam plus auctoritate quàm Hispanam veritate.*

Lib. 7.
contra Fe-
licem p.
895.

Concilium Nationale Pontigonense anno 876. approbavit, decrevitque executioni mandari Capitula Caroli Calvi, quorum secundum his terminis conceptum erat: *Ut honor Summo Pontifici ab omnibus conservetur, & quæ auctoritate Apostolica decreverit, cum summa veneratione suscipiantur, & debita illi obedientia in omnibus conservetur.*

Tom. 2.
Concil.
Galliæ p.
476.

Concilium Nationale Tricassinum anno 878. dicebat Pontifici: *Domine Sanctissime & Reverendissime Pater Patrum, Joannes Catholica atque Apostolica Ecclesia videlicet Romanæ primæ Sedis Papa, nos famuli ac discipuli. Ex his verbis patet, non credidisse Episcopos illos Romanam Sedem separari posse ab Ecclesia Catho-*

Catho-

Catholica. Deinde pergunt: Quos excommunicatiſtis, excommunicatos tenemus, quos ab Eccleſia abjeciſtis abjicimus, & quos regulariter ſatisfacientes veſtra auctoritas & Apoſtolica Sedes receperit, recipiemus.

Hæc Concilii Tricaſſini verba tantò majoris ponderis eſſe debent, quòd cum encomio citentur in Proceſſu verbali Conventûs Provincialis Rhemenſis, occasione Archiëpiſcopi Cameracenſis; quodque Illuſtriſſimi Bononiënſis & Catalaunenſis recognoverint, quòd id quod in Concilio Tricaſſino declaratum fuit, de decretis ad perſonas damnandas vel abſolvendas pertinentibus juxta omnium ſeculorum traditionem, extendi etiam debeat ad decreta dogmatica: quodque brevè iſta periodo fuerit ſignificatum, Epìſcopos conſentientes primæ Sedis decreto, exercere ſimul actum obedientiæ erga eandem Sedem, & auctoritatis ſub primaria auctoritate Sedis Apoſtolicæ.

Nova Cle-
ri Mo-
num. tom
I. p. 450.

Hincmarus, quem acrem libertatum ſuarum defenſorem Galli agnoſcunt, in cauſa fidei nullis limitibus Pontificis auctoritatem circumſcribit. *De omnibus, inquit, dubiis, vel obſcuris, qua ad rectæ fidei tenorem, vel pietatis dogmata pertinent, S. R. Eccleſia, ut omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra, Nutrix ac Doctrinx eſt conſulenda, & ejus ſalubria monita ſunt tenenda, maximè ab his qui in illis regionibus habitant, in quibus per ejus prædicationem omnes in fide genuit, & Catholico lacte nutrit.*

Hinem. de
divort.
Lotharii
& Teutb.
initio-

Ivo Carnotēſis & Goffridus Vindocinenſis à Conventu Prælatorum anno 1682. cum laude citantur: quorum prior ad Archiëpiſcopum quemdam S. Sedi rebellem ita ſcribit.

Ep. Cleri
ad Innoc.
XI.

56 *Tractatus de Schismate.*

Adversus Sedem Apostolicam attollis cervicem, & quantum in te est, quod illa edificat tu destruis, & quod destruit edificas. Sed hujus S. Sedis iudicio & Constitutionibus resistere, nihil aliud est quam haresim suam prodere, cum scriptum sit, eum qui non consentit Ecclesia Romana, manifestè hæreticum esse.

Ivo Epist.
§. ad Ri-
cher. Se-
nonenf.

Epist. 27.
apud Sir-
mondum

Epist. 10.
ad Goffri-
dum Car-
not.

De Con-
fid. lib. 2.
c. 8.

Epist. 190.
ad Innoc.
IV tom. 4.
nov. edit.

De Con-
fid. lib. 2.
c. 8.

Goffridus Abbas Vindocinensis scribit ad Goffridum Episcopum Carnotensem, nemo potest retractare quod Pontifex fecit, & in eum os ponere. Et in alia Epistola, si quis, inquit, Apostolica Sedi qua leges canonum dedit, in canonum expositione contrarium sentit, non sapit quicumque est ille, sed desipit.

S. Anselmus Abbas Du Bec, ejusque præceptor Lanfrancus non minus acriter pro tuenda S. Sedis Auctoritate certarunt.

S. Bernardus, vox & oraculum Cleri Gallicani, in sola Pontificis persona, quidquid in novo veterique Testamento apparet illustrius, tanquam in speculo contemplabatur, Abrahami fidem, Melchisedechi & Aaronis Sacerdotium, Moysis potestatem legislativam, S. Petri ipsiusque Domini nostri Jesu Christi dignitatem. Ad Papam Innocentium IV. ita scripsit. Oportet ad vestrum referri Apostolatium pericula quaque & scandala emergentia in regno Dei, ea præsertim qua de fide contingunt. Dignum namque arbitror ibi potissimum resarciri damna fidei, ubi non possit fides sentire defectum. Hac quippe hujus prærogativa Sedis. Cui enim alteri aliquando dictum est: Ego pro te rogavi Petre, ut non deficiat fides tua? Et ad Eugenium scribens ait; Tu Episcopo celum claudere, tu ipsum ab Episcopatu deponere, etiam & tradere Satana potes. . . . Habent alii Pastores sibi assigna-

assignatos greges, singuli singulos; tibi universi crediti, uni unus. Nec modo ovium, sed & Pastorum tu unus omnium Pastor.

Sancti Bonaventura & Thomas Aquinas, velut duo lumina Scholæ Parisiensis in qua annis plurimis docuerunt, meritò suspiciuntur. Videamus, istorum quæ fuerit sententia.

Si tempore, inquit S. Bonaventura, Sacerdotii figurativi, Pontificis sententiæ adversari malum erat, mortisque pœna mulctandum; multò fortius tempore veritatis, & gratiæ revelata, quando Christi Vicario plenitudo potestatis collata esse dignoscitur. & S. Thomas postquam, inquit, aliqua essent auctoritate universalis Ecclesiæ determinata, si quis tali ordinationi pertinaciter repugnaret, hæreticus censeretur. Quæ quidem auctoritas principaliter residet in Summo Pontifice. Dicitur enim, quoties fidei ratio ventilatur, arbitror omnes fratres nostros & Coëpiscopos non nisi ad Petrum, id est ad sui nominis auctoritatem referri debere. Contra cujus auctoritatem nec Hieronymus, nec Augustinus, nec aliquis sacrorum Doctorum suam sententiam defendit.

Hæc est concors SS. Patrum ac Doctorum Ecclesiæ Gallicanæ sententia: meritoque antiquus vitæ S. Bernardi Scriptor insigni hoc testimonio Nationem extollit: Neque enim Francia (ceteris regionibus proclivibus ad Schismata) aliquando sædata est, nec malignorum acquievit erroribus: nec fabricata est idolum in Ecclesia, nec venerata in Petri Cathedra monstrum.

Ex hac doctrina, ipsis Gallis fatentibus, Ecclesiæ Gallicanæ decor & gloria promanavit. Hanc sibi, teste Fevretò, dignitatem comparavit indissolubili cum Sancta Romana Sede

Bonav.
Apolog.
Pauperum
cap. 1

2.2. quæst.
11. art. 2.

Guilielm.
Abbas S.
Theodori
in vita
Bernardi.

Lib. 1.
cap. 3.

Sede conjunctione. A Romana scilicet Ecclesia divinæ claritatis lucem, & fulgentissimos gloriæ suæ radios mutuabat. Verbo, Petri Cathedra primum erat mobile, cujus motus omnes exactissimè ipsa sequebatur.

Demonstrari haud difficulter posset, præcellentium Sorbonæ Doctorum partem maximam pro tuenda Summi Pontificis auctoritate acriter & gloriosè certasse; falsoque esse necessitatem submittendi se dogmaticis ejus Constitutionibus. Sed corpus hoc, ob variationis inconstantiam, in tantam tamque degenerem recidit vilitatem, ut auctoritas ejus tanti non sit, ut post citatos viros tam illustres locum hîc aliquem invenire mereatur.

§. II.

Cleri Gallicani novissimorum seculorum de S. Sedis auctoritate sententia.

CLerus Gallicanus posterioribus his seculis non recessit à doctrina & praxi tot illustrium Prædecessorum, quantum attinet ad reverentiam obedientiamque Summis Pontificibus debitam. Hæc principia, velut pretiosam fidei gemmam, ab illis accepta diligenter conservavit.

Concilia
Galliæ no-
vissima.

Concilium Rhotomagensis anno 1581. sub Cardinale Borbonio celebratum; Rhemensis anno 1583. sub Guisio Cardinale; Burdigalensis celebratum anno eodem sub Antonio Præposito de Sanzac; Turonense eodem anno sub Simone de Maillé; Bituricense anno 1584. sub Reinero de Baulne; & Aquisextanum

num celebratum anno 1585. Hæc, inquam, Concilia decisiones & Acta sua ad Pontificem miserunt, orantes ut ea vel corrigeret, vel approbaret. Gregorius XIII. & Sixtus V. Conciliorum Bituricensis, Turonensis, & Aquisextani Acta re ipsa correxerunt: quæ, non nisi Pontificum correctione ad amissim servatâ, publicata sunt.

Nemo ignorat quanto ardore initio seculi decimi septimi Cardinales Perronius, de Rochefoucault & Richelius opposuerint se periculose Richerismi Factioni, ut auctoritatem jurisdictionemque Pontificiam tuerentur. Persuasum erat Cardinali Richelio, non posse efficacius evelli doctrinæ Schismaticæ radicem, quàm si cogeretur Doctor Richerius *S. Sedis Apostolicæ judicio se subdicere, eamque matrem ac magistram omnium Ecclesiarum, & infallibilem veritatis judicem agnoscere: quod & præstitit coram Patre Josepho, & pluribus Doctoribus deputatis.*

Conventus Cleri generalis anno 1626. infallibilitatem Summis Pontificibus tribuit. Modus ipse quo sensum suum exprimit Conventus ille, S. Sedi gloriosissimus est. Audiamus. *Magnum est nostri erga Deum amoris testimonium, si honoremus eos, quos suos in terris Vicarios constituit, ut accepta à Deo potestate ea quæ ad nostram salutem pertinent certis nobis regulis præscribant. Quæ prerogativa cum supra omnes Episcopos soli data sit Summo Pontifici, æquum profecto est, ut ipsi imprimis subditos se ipsius agnoscetes, eum omni honore ac reverentia submissò animo prosequantur, quo facilius illustre Episcoporum exemplum reliqui omnes imitentur. Quapropter hortamur Episcopos, ut honorent S. Sedem Apostolicam*

Spondan.
in prolusione ad
17. Seculum ad an.
1629.

Conventus Cleri Gallicani ad regni Archiep. & Episc. 20 Jan. 1626. art. 137. Vide Tractatum de Libert. Eccl. Gall. lib. 9. Leodii 1684.

stolicam & Ecclesiam Romanam, promissis Dei infallibilibus, atque Apostolorum ac Martyrum sanguine fundatam; qua, ut cum S. Athanasio dicamus, est veluti sacratissimum caput, unde reliqua Ecclesia omnes, qua ipsius sunt membra, vigorem vitamque accipiunt: honorent quoque Summum Pontificem, Patrem nostrum, visibile totius Ecclesiae caput, Dei in terris Vicarium, Episcopum Episcoporum & Patriarcharum, verbo Successorem S. Petri, in quo Apostolatus & Episcopatus sumpsit exordium, super quem Ecclesiam suam fundavit Christus, tradens ipsi claves regni caelorum, & indefectibilitatem in fide, qua in Successoribus ejus usque in hunc diem firma & immobilis divina virtute permansit. Unde orthodoxi omnes omnimodam ipsis & Sanctis eorum Constitutionibus obedientiam praestari à se debere crediderunt: ac denuo Episcopos hortamur, ut rem hanc continuari curent, coerceantque refractarios, qui in dubium revocare audent auctoritatem tam sacram, tot divinis humanisque legibus stabilitam; viamque quam secuturo populo orthodoxo monstraverint, ipsi inzeant primi.

Anno 1629. Franciscus de Harlay Archiepiscopus Rhotomagensis Historiæ suæ Ecclesiasticæ inseruerat quædam auctoritati Sedis Apostolicæ inimica. Cardinalis de Rochefoucault congregatis in Palatio suo, quotquot id temporis Parisiis morabantur, Episcopis, de illius Prælati Historia, ceu de Opere Schismatico, graviter est conquestus. Conventus retractationis Formulam misit, ab ipso subsignandam. Prælatus ille, Ecclesiæ amantissimus, majori Schismatis quam retractationis horrore percussus, retractationi subscripsit, agnovitque libro suo contineri quædam apta ledere unitatem Ecclesiæ, ac dissolvere nexum
quo

quo membra Corporis Christi cum Summo Pontifice colligari debent.... itemque alia complura contraria reverentia & obedientia, quam Episcopi omnes Pontifici exhibere tenentur. Verba sunt Retractationis. Missis eodem tempore ad Pontificem litteris, *delicti veniam* (ut scribit) *cum lacrymis postulavit.* Hæc publica retractatio Episcoporum Conventui multum placuit : libri exempla, ne prodirent in publicum, omnia suppressit, solutis typorum expensis. Adeo temporibus illis Episcopos Gallos vigiles & experrectos reddebat sacra servandæ unitatis cura, ut nihil edi paterentur in lucem quod auctoritati Pontificis vel tantillum adversaretur.

Cleri ejusdem Acta omnia ab octoginta jam annis contra Jansenismum, totidem sunt argumenta, quibus declarant Galliarum Episcopi agnoscere se Pontificis auctoritatem definiendi ac determinandi quid fide tenendum sit.

Episcopi octogintaquinque postulantes condemnationem quinque famosarum Propositionum, decisionem Pontificis vocant *vocem* Epist. 85. Episcop. ad Innoc. X. & *præceptum Jesu Christi, cui mare & venti obediunt.* Conventus anni 1653. declarat, *fideles omnes obedientiam, etiam interiorem, præstare debere Pontificis definitionibus.*

Conventus anni 1661. sensu eodem pronuntiat : *Super hunc S. Sedis montem nosmetipsos pascimus, ut ad populum suum dicebat S. Augustinus; in hac eadem, quibus nutrimur, vos pascula ducimus. In hoc monte docet Dominus: in hoc, quemadmodum Tertullianus loquitur, fidei nostra anchoram jacimus; nihil aliundè alimenti quærentes.* An dici quidquam potest expressius, nervosiusque? Came-

Orat. ad
Convent.
p. 13.

Cameracensis Archiepiscopus Fenelonius, & Bossutius Episcopus Meldensis, ambo isti rivales illustres, in hoc conspirant, quòd afferant obligari fideles ad servandam cum S. Sede unitatem. De Cameracensi nemo est qui dubitet. Meldensis in Conventu anni 1682. mentem suam sic explicat: *Nemo dicat, S. Petri ministerium cum ipso finiri: quod enim ad perpetua Ecclesia pertinet conservationem, finem habere non potest. In sua semper Cathedra Petrus loquetur; quemadmodum sexcenti triginta Episcopi Concilii Chalcedonensis confirmant. . . Itaque Romana Ecclesia semper est Virgo, fideisque Ecclesia Romana semper est fides Ecclesia universa.*

Nova
Cleri mo-
nument.
t. I. p. 415.

In Conventu anni 1700. Præsidente Eminentissimo Cardinale Noaillio, facta est Relatio actorum in negotio Archiepiscopi Cameracensis: qua in relatione à Conventu approbata, relecto ejusdem Illustrissimi Decreto, dicitur: *Hostes Ecclesia perculit tam subita mutatio, cui fidem non adhibere maluissent. Verùm Ecclesia non ignorans divinam gratiam cum obedientia semper esse conjunctam; agnovit, subjectionem istius Archiepiscopi Christiana humilitatis & Ecclesiastica subordinationis esse effectum. Est quidam Princeps Episcopus; est Petrus ab ipsomet Jesu Christo ad gregem ducendum prepositus; est Ecclesia mater ad reliquas docendum instituta: & Christi Ecclesia in hac unitate fundata, sortitur rupis immobilis firmitatem.*

Epist. ad
Innoc. XII.

Objiciur Conventus anni 1682. Sed præterquam quòd istius Conventus Episcopi ad Pontificem scripserint in hæc verba: *Ad pedes Beatitudinis vestra provoluti, profitemur & declaramus nos vehementer quidem, & supra id quòd dici potest, ex corde dolere de rebus gestis in Comitiis*

tiis predictis, ac quidquid in eisdem circa Ecclesiasticam potestatem & Pontificiam auctoritatem decretum censei potuit, pro non decreto habemus; non hic agitur de Pontificis infallibilitate. Sufficit ad rem nostram quod ille ipse Conventus subjunxerit: *Interim Beatitudini vestrae, tanquam Beati Petri Apostolorum Principis Successori, Christique Domini Vicario, totiusque militantis Ecclesiae Capiti, veram & sinceram obedientiam, quam jam promisimus, iterum promittimus, ovemus & juramus: ac pro ratione addiderit, quod Decreta Summi Pontificis ad totam Ecclesiam spectent, nec unitas servari possit, nisi cum S. Sede servata unitate.*

Ex hac Traditionis catena apparet, Ecclesiam Gallicanam semper Schismaticos censuisse eos, qui à S. Sedis communione separantur. Omnis itaque verus Catholicus, verusque Gallus, sentire & dicere tenetur id quod Conventus Cleri 1685. in expositione fidei Concilii Tridentini ad refutandas Hæreticorum calumnias dixit: *Agnosco Sanctam Ecclesiam Catholicam, Apostolicam & Romanam esse Matrem & Magistram omnium Ecclesiarum; & promitto ac juro Veram Romano Pontifici obedientiam, Vicario Jesu Christi, ac S. Petri Apostolorum Principis Successori.*

§. III.

Quantà veneratione S. Sedi adhaerint Reges Gallie.

GAlliarum Reges quantò ceteris Principibus formidabiliores, tantò Sedi Apostolicæ semper submissiores fuere: in bello vincere

vincere ac triumphare, hic vinci sponteque subjugari, gloriae sibi ducentes. Hac inviolabili cum Petri Cathedra conjunctione titulum longè gloriosissimum Regum Christianissimorum ac primogenitorum Ecclesiae filiorum meritò sunt adepti, meritòque in hunc diem conservarunt.

Anast. Biblioth. in Hormisda

Primus Christianus Rex Clodovicus coronam auream ad Hormisdam Pontificem misit, veluti amicitiae ac reverentiae tesseram; ut hoc exemplo illustri successoribus notum faceret quanto Sedem Apostolicam honore prosequeretur.

S. Gregor. Epist. 6. l. 6. nov. edit.

S. Gregorius ad Childebertum scripsit: *Quanto ceteros homines regia dignitas antecellit, tanto ceterarum gentium regna regni vestri profecto culmen excellit. . . Quia igitur sinceritatem fidei & mente servatis & opere, Beati Petri Apostolorum Principis amor, qui in vobis est, evidenter ostendit, cujus res sub Christiana Religione intuitu, sub vestri culminis potestate bene hactenus gubernata & conservata sunt.*

Paul. Epist. 10. ad Francos t. 2. Concil. Gall. p. 59.

Pepinus protectorem se esse declaravit S. Sedis: quem Paulus I. Pontifex appellavit, *Novum Moysen, novumque Davidem: per quem exaltata Dei Ecclesia triumphat, & fides Catholica ab hereticorum telo illibata consistit. Et ad Nationem Gallicam conversus, vos, inquit, gens sancta, regale sacerdotium, populus acquisitionis, cui benedixit Dominus, gaudete & exultate, quia nomina vestra, Regumque vestrorum exarata sunt in caelis.*

Carolus magnus, alter pietate & liberalitate erga Romanam Ecclesiam Constantinus, scripsit ad Elipandum in Concilio Francofurtensi, *Non vestra me paucitati socium admittite, sed*

sed Apostolica Sedi totâ mentis intentione, tota cordis alacritate conjungo. Dicitque in Capitularibus suis, ad memoriam B. Petri Apostoli honorem Cathedram Apostolicam Romanam, ut, quae est sacerdotalis dignitatis mater, causarum Ecclesiasticarum sit magistra: ad id opus est miti & humili animo, ut onus omne, quantumvis grave appareat, nobis ab ista Sede impositum, pietatis spiritu amplectamur.

Princeps ille verè Magnus, diviso inter filios imperio, suum erga S. Sedem amorem dividi inter eos noluit; sed totum & indivisum, velut plenam sanctamque hæreditatem in singulos eorum traduci desideravit.

Ludovicus Pius Patris tam religiosi secutus exemplum, nullam rem aliam Principibus liberis suis, dum singulis assignavit hæreditatis suæ partem, commendavit magis, dicens: *Ante omnia volumus & mandamus, ut tres hi fratres, S. Petri Ecclesiam uno animo curent atque defendant: quemadmodum fecerunt Carolus Proavus noster, Avus noster Pepinus, ac Pater noster Imperator, nosque ipsi: tueantur eam ab inimicis, & jura ipsius, quantum possunt, conservent.*

Carolus Calvus sollicitè mandavit in quodam Capitulario, ut liceat Ecclesiæ Romanae debita firmitate convenientem sibi exercere in universam Ecclesiam jurisdictionem.... Recipiatur profunda veneratione quidquid Pontifex vi sui ministerii Apostolica auctoritate decreverit. Principis illius sepulcro incisum fuit hoc immortalis memoria dignum elogium: ROMÆ PATRONUS.

Ivo Carnotensis Epistolâ ad Pascalem Papam insigne dat testimonium submissionis ac

Concill. Francof. t. 2. Concil. Gall. Capit. de honoranda Sede Apostolica p 357. edit. Baluz.

Ibid pag. 444.

In charta de divis. regni inter Capit. Regum Franc. Edit. Baluz. pag. 683.

Tit 47. cap. 1 & 2. inter opera Sirmondi t. 3. p. 310.

Ivo ad
Paschalem
Ep. 240.

reverentiæ Regum Franciæ erga S. Sedem. Novit Paternitas vestra, quia regnum Francorum præ ceteris regnis Sedi Apostolicæ semper fuit obnoxium; & idcirco quantum ad ipsas Regias personas pertinet, nulla fuit divisio inter Regnum & Sacerdotium. Ac postquam Ludovici Crassi erga S. Sedem observantiam laudasset, subjungit. Novit Paternitas vestra, quia cum Regnum & Sacerdotium inter se conveniunt, bene regitur mundus, floret & fructificat Ecclesia. Cum verò inter se discordant, non tantum parva res non crescunt, sed etiam magna res miserabiliter dilabuntur.

Innoc. III.
in Rescrip.
ad Episc.
Gall.

Innocentius III. laudatâ fide ac pietate Philippi Augusti, subjungit: Ad honorem & profectum & incrementum ipsius Principis aspiramus, exaltationem regni Francorum, sublimationem Apostolicæ Sedis reputantes. Princeps ille Augustus cum filio suo Ludovico ne verbo quidem communicare voluit, eo quod contemptis Pontificis censuris Angliæ regnum invadere ausus fuerit. Tantum Rex ille magnus venerabatur fulmina Vaticana.

Regist.
Camer.
Comput.
Regist.
Croix &
Regiæ
Qui es in
caelis. Du
Chesne
Hist. Franc
t. 5. p. 392.
* Inter
acta Con-
cil. Late-
ran Sess 4.
Ibid. Sess.
8.

Sanctus Ludovicus in Documentis filio suo relictis, quæ in Camera Computuum Parisiis hodie dum servantur, sic eum monet: Magnopere semper venerari debes Romanam Ecclesiam, ipsumque Pontificem, quem honorare oportet ut tuum in rebus spiritualibus Patrem.

Ludovicus XI. Pio II. Pontifici scripsit: Te Vicarium Dei viventis ea veneratione prosequimur, ut sacra præsertim in Ecclesiasticis rebus tua monita, veluti vocem Pastoris audire, iisque parere prompta mente velimus. Et Ludovicus XII. Instrumento authentico declaravit, illius se auctoritati & sententiæ potius, quam alterius cujusque

iusque mortalium, sanctius & severius semper stare, præsertim ubi scandalum Ecclesie imminet & Schisma.

Denique ne hujus narrationis telam longius protraham, sanctam quãdam jactantiam asseverare licet, maximos sanctissimosque Franciæ Reges, Carolum Magnum, Ludovicum Sanctum, Franciscum I. Henricum IV. Ludovicum XIII. Ludovicum XIV. S. Sedis omnium maximè arctissimèque fuisse conjunctos, fidemque Romanam toto auctoritatis pondere sustentasse.

S Sedes vicissim Galliam semper censuit portum esse securissimum in quem Petri navicula persecutionis fluctibus agitata se reciperet. Huc velut ad asylum tutissimum confugerunt Summi Pontifices, Stephanus II, Leo III, Joannes VIII, Urbanus II, Gelasius I, Calixtus II, Innocentius II, Eugenius III, Alexander III, ut Schismaticorum furias declinarent; eumque Francorum Regum affectum sunt experti, quem erga visibile Ecclesiæ Caput gerere oportet eos, qui Primogenitorum Ecclesiæ filiorum titulo gloriantur: *Qui Reges consecrati sunt, inquit S. Remigius, ut sint Ecclesiæ perpetui defensores; quique in solemnibus Coronationis ritibus gladium acceperunt ad fugandos Sanctæ Ecclesiæ hostes, & Domini aciem defendendam,*

Privata quorundam Franciæ Regum cum Romanis Pontificibus dissidia felicem hanc Sacerdotium inter & Imperium subinde turbavere concordiam: sed nullum hinc contra spiritualement S. Sedis auctoritatem gigni præjudicium demonstrabimus.

Testam.
S Remigii
relatum à
Flodoard.
& citatum
à Bossuet.
in Con-
ventu
1682.
Cerem. du
Sacre.



CAPUT VII.

Ex privatis Regum Franciæ cum Summis Pontificibus diffidiis clariùs emicuit in rebus fidei S. Sedis auctoritas.

§. I.

De diffidio Latharii cum Nicolao I.

T Ametsi eæ, de quibus acturi sumus, diffensiones ortæ fuissent solorum culpâ Pontificum, tamen hinc animo perturbari ne pusilli quidem possent. Ipsi Pontifices homines sunt: neque eos humanæ fragilitati exemptos omnino Dominus voluit, ut Divina providentia, quâ Ecclesiæ incolumitati invigilat, emicaret magis. Istarum tamen diffensionum inter Sacerdotium & Imperium ortarum pars maxima ex impotentibus Principum passionibus sumpsit exordium: quarum torrenti Pontifices, quibus universalis Ecclesiæ commissa est cura, obicem opponere se debere existimarunt.

Primum hujusce rei in Lothario Rege Lotharingiæ, quæ id temporis Gallicæ Monarchiæ pars erat, habemus exemplum. Principis hujus insanus amor, quo foeminam quandam Waldradam nomine, deperibat, Reginæ Theutbergæ conjugis legitimæ fastidium ipsi inspirarat. Itaque de dissolvendo matrimonio cogitabat. Faventibus sibi Archiepiscopis Coloniensi & Trevirensi, non desistebat

ſiſtebat urgere Theutbergam ut objectum crimen agnoſceret, quæ aquæ bullientis experimento innocentiam ſuam probaverat. At Regina clam ſe ſubducens, & ad Caroli Calvi ditionem confugiens, Nicolai I. Pontificis opem imploravit, qui debitum innocentie patrociniſm ſuſcepit. Lotharius convocatis Aquisgrani regni ſui Epiſcopis, tantum effecit, ut matrimonium ejus cum Theutberga nullum irritumque declaraverint, conceſſâ aliam ducendi libertate. Duos mox Comites Romam deſtinavit, qui Concilii ſententiam ad Pontificem deferrent, confirmationemque poſtulerent. Pontifice id facere recuſante, Waldradam duxit Lotharius.

Nicolaus Pontifex ut hanc peſſimi exempli publicam offenſionem, Principiſque audaciam comprimeret, Metis Concilium convocavit, miſſis eò, qui præſiderent, Legatis ſuis. Quibus à Lothario corruptis, ſententiam libidini ſuæ faventem Princeps extorſit. Cognitâ perſpectaque rei veritate, Concilium Romæ coëgit Nicolaus, in quo Metenſis Concilii ſententiâ caſſâ inanique declaratâ, Coloniensem & Trevirenſem Archiepiſcopos anathemate percussoſ exauthoravit, earundemque pœnarum minas intentavit ceteris Epiſcopis, niſi ad clementiam ſuam animo ſubmiſſo confugerent.

Ex hoc facto apparet, quanta in veneratione atque honore omnibus eſſet id temporis S. Sedis auctoritas. Princeps ille, quamvis paſſione tam violentâ irretitus, non auſus tamen fuit duorum Conciliorum ſententiâ tueri ſe contra Pontificis deciſionem. Quin potiùſ ſcriptis Nicolao litteris ſignificavit,
E 3 nolle

nolle se cum Coloniensi & Trevirensi Archiëpiscopis, anathematis sententia damnatis, communionem habere, paratumque esse ut pareat latæ contra divortium à se factum Pontificis sententiæ, eaque de causa Romanam se conferat.

Promissis respondit eventus. Teutbergam sibi à Legato Pontificis oblatam, in legitimam tori sociam recepit. Ut autem syncerum constantemque Regis animum exploraret Legatus, Waldradam Romanam iter capeffere iussit, ut ab ipso Pontifice criminis absolutionem coram efflagitaret. Consensit Lotharius, ac re ipsa lentis brevibusque itineribus Waldrada in Italiam pervenerat: undè, reviviscente quæ sopita fuerat Lotharii libidine, redire iussa, Principis imperio paruit, latamque mox excommunicationis sententiam à Nicolao Pontifice pronuntiatam incurrit; Lothario, nisi seriò resipisceret, intentatis anathematis minis.

Dum hæc agerentur, Adriano II. in locum Nicolai vitâ functi electo, Romanam venit Lotharius, ut novi Pontificis gratiam favoremque, si qua arte posset, aucuparetur. Cumque tam ipse quàm qui eum comitabantur aulici, ut se anathematis vinculo liberos ostenderent, Sacram Eucharistiam manu ipsius Pontificis porrigendam suppliciter postularent; res inopinata perculit postulantium animos. Pontifex manu tenens Sacratissimum Jesu Christi Corpus, antequam porrigeret, hæc ad eos tono pathetico verba direxit: *si innoxium te, Rex, recil. Gal-*
cognoscis à prohibito atque interdicto tibi à Nico-
lia p. 378. lao adulterii scelere, & hoc fixa mente statutum
habes

habes, ut nunquam diebus vite tue Waldrada pellicis tue dudum à te repudiata miscearis nefario concubitu, fiducialiter accede, & Sacramentum salutis aeternae tibi ad remissionem peccatorum profuturum percipe. Sin autem tua conscientia te accusat, teque lethali vulnere sauciatum proclamat, aut iterum redire mente disponis ad mœchia volutabrum, nequaquam sumere praesumas; ne fortè ad iudicium & condemnationem tibi adveniat, quod fidelibus ad remedium preparavit divina providentia.

Lotharius, ne recederet, pudore retentus, Sacram Eucharistiam Pontificis manu accepit: qui deinde ad aulicos conversus, singulos his verbis est allocutus: Si Domino & ibid.
Regi tuo Lothario in objecto adulterii crimine favorem non praestitisti, neque consensum praebuisti, & Waldrada, & aliis ab hac Sede Apostolica excommunicatis non communicasti, Corpus & Sanguis D. N. Jesu Christi profit tibi in vitam aeternam. Audita hac terribili sententiâ, quidam conscientia terrente non ausi sunt Corpus Domini accipere, ceteris exemplum Regis sacrilegum sequentibus. Sed nullum icelus secuta est palpabilior Dei vindicta. Lotharius Rhegino
in Chronico.
ceterique ejusdem sacrilegii participes illo ipso anno miserè perierunt. Quid est, obsecro, in causâ hujus initio, progressu, & exitu, quod universalem S. Sedis auctoritatem jurisdictionemque non stabiliat potius quàm infirmet?

§. II.

De Dissidio Philippi I. cum Urbano II.

Dissidium hoc eandem cum superiori causam habuit, licet exitu minus tragico minusque luctuoso. Philippus I. Bertham Reginam, tametsi triplici jam partu foecundam, repudiavit, ductâ Bertradâ, Comitis Andegavenfis adhuc viventis uxore. Liberam populi indignationem commovit facinus insolens. Viri nobiles complures sumptis armis pro Bertha contra Regem steterunt. Rex sibi Episcoporum animos omni studio devincire satagebat. Opposuit se animo constanti, nec minis nec blanditiis flexibili, Prælatus pietate conspicuus Ivo Carnotensis: quem cum ad se Rex evocasset, respondit ille non venturum se: *Quod facere, inquebat in Epistola sua, ad præsens magna & multa causa me prohibent. Prima, quia Papa Urbanus interdicit vobis auctoritate Apostolica thorum mulieris quam pro uxore habetis; & quia Sacramentum de securitate Concilii, quod vobis mandaverat, fieri vetuistis. A cuius commixtione si amodo non cessatis, separat vos eadem auctoritas à participatione corporis & sanguinis Domini.*

Ivo Epist.
105. ad
Philippum
Regem.

Legati à Philippo ad Pontificem missi, animum ejus labefactare nitebantur incusso imminentis Schismatis metu. Accedebat plurium Galliae Episcoporum in Concilio Rhemensi adulatoria ac favens crimini sententia. Quæ impiorum machinamenta Urbani Pontificis animum ad connivendum inducere nequiverunt. Hugoni Archiepiscopo Lugdunensi Legato suo injunxit, ut Augusto-

duni

uni Concilium convocaret, in quo lata fuit in Regem excommunicationis sententia. Philippus, etsi conjugii adulterini tenax, tamen sententiæ contra se latæ submisit se; & ubicunque præsens aderat, illic cessari à Divinis æquo animo passus est.

Urbanus intelligens animum Principis in peccato obduratum, novum super hac re Placentiæ Concilium convocavit: quo Legatos suos Philippus destinavit, qui rationes quasdam prætexebant, ob quas Rex ipse coram Concilio non compareret. Pontifex, ut omnem præcideret prætextum, in Galliam ipse venit coacto Claremontii Concilio, in quo iteratò excommunicatus fuit Philippus. Tum primùm poenitentia ductus, ad Pontificem in Concilio Nemaufensi se contulit: ubi postquam sponderat nullum se deinceps cum Bertrada, quam mox dimitteret, commercium habiturum; inunctâ poenitentia pro commisso crimine adimplendâ, à vinculo Excommunicationis absolutus fuit. Non diu tamen stetit promissis. Quare tertio anathemate percussus fuit in Concilio Nemaufensi à Legatis Pascalis II. qui Urbano è vivis sublato in Pontificatu successerat.

Denique post varias hinc inde propositiones discussas, ac varia Philippi promissa, novus Pontifex assumpto in Legatum suum Lamberto Atrebatensi Episcopo, Galliarum Episcopos Parisiis congregari jussit. Coram his Philippus habitu poenitentis ac nudis pedibus, non obstante hyemis inclementia, comparens, tactis Sacro-sanctis Evangelii sequens emisit juramentum. *Audias, tu Lamberte, Atrebatensis Episcope, qui hic Apostolica vice fungeris: Audiant*

Tom. 3.
Spicilegii
Acheriani
p. 129.

74 *Tractatus de Schismate.*

Audiant presentes Archiepiscopi & Episcopi, quod ego Philippus Rex Francorum peccatum illicita copule cum Bertrada ulterius non exercebo.... Cum eadem quoque foemina mutuum colloquium & contubernium, nisi sub testimonio personarum minimè suspectarum, non habebō. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sacrosancta ꝑ. C. Evangelia. Facto hoc juramento, Atrebatensis Episcopus Pontificis & Concilii nomine Regem absolvit: eodemque juramento à Bertrada facto, ipsa pariter absoluta fuit. Quanta hic iterum Principis & populi emicat erga S. Sedem reverentia! quàm celsa dignitas, quàm gravis auctoritas, quàm sublimis potestas relucet in Romanis Pontificibus, quàm se velut murum pro domo Dei, pro conservandis Christi & Ecclesiæ Legibus, perditæ Regum maximorum libidini invicto & constanti animo opposuerunt.

§. III.

De dissidio Philippi Augusti cum Innocentio III.

E Adem semper Principum passio inter Sacerdotium & Imperium dissidia peperit. Philippus Augustus cupiens repudiare Ingelburgam Regis Daniæ Sororem prætextu consanguinitatis in gradu vetito, rem totam ad Cælestinum III. Pontificem detulit: à quo duo Episcopi Galli, qui de hac causa iudicium ferrent, delegati fuere. Causâ ab ipsis in favorem Regis decisâ, matrimonium in Conventu Episcoporum & Baronum ab Archiepiscopo Rhemenfi declaratum fuit invalidum. Ac mox Philippus Agnetem Bertoldi Ducis Bohe-

Bohemiæ filiam matrimonio sibi junxit. Quâ de re Daniae Rex graviter conquestus, refutationem præsentis Philippi cum Ingelburga consanguinitatis Romam misit.

Innocentius III. qui Cælestino successerat, causâ maturè discussâ. deprehendit sententiam in Gallia latam subreptitiam, falsisque instrumentis nixam fuisse. Itaque Legato suo mandavit, ut Philippo declararet, contractum cum Agnete matrimonium irritum invalidumque fuisse; eique sub poena excommunicationis injunxit, ut Agnete dimissâ priorem veram legitimamque conjugem Ingelburgam reciperet.

Legatus, qui tum erat Cardinalis Capuanus, ut liti finem imponeret, Concilium Divione coëgit. Rex sibi inde malè metuens, Patribus congregatis significari jussit, se à Concilio ad Pontificem appellare. Legatus cui potestas data erat litem dirimendi, soluto hoc Concilio, aliud Viennæ celebrandum indixit. Atque hoc ipsum est in quo Legatus, Galliæ regnum Interdicto subjecit donec Rex se submitteret.

Nimum, ut ipsis videbatur, hujusmodi Interdicti rigorem datis Litteris Pontifici exposuerunt Archiepiscopus Rhemensis, itemque Episcopi Bellovacensis, Laudunensis, Noviomensis, Tornacensis, Aurelianensis, Meldensis: promittentes nihilominus Interdicto se parituros. Et paruerunt re ipsa, quemadmodum & ceteri Galliarum Episcopi. Itaque per universum regnum à Divino Sacrificio cessatum est, nullaque Sacramenta administrata, præter baptismum nascentium & moribundorum absolutionem à peccatis. Frustra
Rex

Rex indignabundus obedientibus Papæ Prælatiſ & Curionibus beneficiorum fructus ſubtraxit : quippe non ante reconciliatus, cenſurisſque ſolutus, quàm eos qui paruerant, reſtitutis proventibus indemnes redderet, paucosſque qui neglecto Interdicto refractarii fuerant, debitas contumaciæ pœnas ſubire pateretur. Pontificiæ deciſioni, Agnete dimiſſâ, acquieturum ſe promiſit, ſi novum cauſæ examen inſtitui Pontifex permetteret. Conſenſit Innocentius; novumque Sueſſione Concilium coactum. At Philippus Auguſtus, non expectata Concilii definitione, Ingelburgam quam repudiaverat recepit, legitimanque conjugem ſuam eſſe profeſſus eſt.

Cauſa hæc, nova iterum argumenta ſubmiſtrat, confirmantia Sedis Apoſtolicæ auctoritatem, debitamque Pontificiſ Cenſuris reverentiam, quoties de rebus merè ſpiritualibus inter Sacerdotium & Imperium orta eſt contentio.

§. IV.

De Diſſidio Philippi Pulcri cum Bonifacio VIII.

Optandum foret ut ſcandalum hac occaſione univerſæ Eccleſiæ datum æterno ſilentio premeretur. Sed cum rei huiusce memoriam non deſinant continuoſ refricare Novatores; ſolâ facti expoſitione apparebit, nullum cauſæ eorum peſſimæ præjudicium accedere, nullumque Spirituali S. Sedis auctoritati detrimentum.

Hæc tam funeſta Philippum inter & Bonifacium diſſenſio orta eſt ex quadam Pontificiſ

cis

eis Bulla, quâ, nullâ Galliae factâ mentione, universis Ecclesiasticis probibebat Pontifex, ne quovis titulo aut prætextu pecunia daretur Principibus ex suorum proventibus beneficiorum. Rex vicissim, nullâ factâ mentione Romæ, edito Decreto subditis suis prohibuit ne extra regni limites pecunia transferretur. Modico post hæc tempore, cum Bonifacius Galliam inter & Angliam arbiter esset electus, ambobus Regibus Bullam Pontifex misit, quâ sub poena excommunicationis præcipiebat, ut pactam ad tempus induciarum moram prorogarent. Pupugit Philippum hæc præcipiendi auctoritas. Nihilominus in Bullæ promulgationem consensit; additâ tamen Protestatione, quâ declarabat, *Ad se solum pertinere regni sui curam & regimen, nullumque se, quantum ad hoc, superiorem agnoscere. . . . proinde nec se nec regnum suum ullis Pontificis censuris, similem ob causam latis, ligari posse: ceterum, quantum ad spiritualia attinet, Pontificis se auctoritatem agnoscere Prædecessorum suorum exemplo, omnemque, quam patri filius debet, Ecclesia Capiti ejusdemque Decretis reverentiam habiturum.*

Non videbatur Bonifacius hanc Regis protestationem iniquo animo ferre. Quin potius priorem Bullam explicuit, ac Ludovicum Philippi avum Sanctorum catalogo solemni ritu adscripsit. Animo sincero reconciliati videbantur. Brevi tamen succrescentibus simultatibus novis, Pontifex indicto Romæ Concilio, ut ad id celebrandum convenirent, Galliae Episcopis præcepit. Vetuit Rex ipsosque Parisios convenire jussit, ubi Guilielmus Nogaretus, Papæ accusatorem se professus

Instrum.
dissidii
Philippi
cum Boni-
facio.

fessus, Regem rogavit ut universale Concilium congregari curaret, juberetque auctoritate Concilii titulo & honore Pontificatus exui Bonifacium, velut in Petri Cathedram intrusum, hæreticumque, atque enormium criminum reum. Petrus Flottus eodem supercilio loquebatur. Contrà Bonifacius Romæ Concilium celebrabat, ad quod, non obstante severâ Philippi prohibitione, quadraginta & amplius Galliarum Archiepiscopi Episcopique confluxerant. Concilio finito Pontifex celebrem Bullam quæ incipit *Unam sanctam* promulgavit.

Novum Parisiis Conventum Rex instituit. Pontifex Legato suo mandavit ut Regi significaret innodatum se esse vinculo excommunicationis. Rex Episcoporum Gallorum, qui ad Romanum Concilium se contulerant, bona temporalia sibi vindicavit; aliumque rursus Conventum instituit, in quo appellari jussit, ac ipsemet à Censuris Bonifacii vel ad futurum Generale Concilium, vel ad futurum Pontificem legitimum appellavit. Non hic stetit. Per insidias, operâ Nogareti & Colonna, comprehendi abducique Pontificem jussit: à quibus indigna infandaque passus, omnique per triduum alimento privatus, haud multo post ex hac vita migravit.

Dubitandum non est quin in luctuoso hoc dissidio magna hinc inde animositas acerbitasque intercesserit. Notasse hoc loco sufficiat, quod ad rem nostram facit, Philippum, quantum ad spiritualia attinet, Pontificiam auctoritatem submissè ac reverenter agnovisse; neque aliam ob causam contempsisse Censuras Bonifacii, nisi quòd nullas invalidasque
arbi-

arbitraretur; quod rerum temporalium intuitu latae forent: neque ad futurum Concilium appellasse alio titulo, nisi quod prae-deret Bonifacium aut non legitimè fuisse electum, aut certè ob crimen Hæreseos Papali dignitate excidisse.

Sed passionis commotione, velut tempestate quadam animi paulatim desæviente, postquam Philippus ad lucem illam serenitatemque rediit, quam ratio religioque adspirat, latorum contra se Censurarum memor, nullam admittebat conscientia mordente quietem. Itaque ab his absolvi instanter postulavit. Sacer hic trepidantis animi horror causa fuit, cur Archiepiscopo Burdigalensi, priusquam Tiaram Pontificiam ei se procuraturum adpromisit, has condiciones tacto Sanctissimo Christi corpore jurandas proposuerit: *Primò, inquebat, postulo ut me reconcilies Ecclesia Sancta, & ab eo me delicto absolvas quo Bonifacium Papam comprehendi jussi: secundo ut revoces latus in me, & in eos qui mihi adhaerunt, excommunicationes.* Quod & præstitit Archiepiscopus, quàm primùm Pontifex creatus fuit assumpto Clementis V. nomine.

Communis opinio fuit, mortem Philippi & trium liberorum ejus, fuisse Divinae vindictæ exemplum manifestum. Cùm enim modico singuli tempore regnassent, omnes nulla relicta prole mascula extincti sunt. Qua de re S. Antoninus, à Genebrardo citatus, ita loquitur: Sanctus quidam Episcopus cùm intellexisset comprehensum esse Bonifacium, coram multis edixit: Res hæc grata erit Regi Gallia; sed tam ipse quàm posterius ejus vindicem Dei manum non effugient.

Joan. Vil-
lanil. 8. c.
89. p. 318.
edit. Ve-
net.

S. Anto-
nin 3. part
apud Ge-
nebrard.
Chrono-
graphiæ

Vati-

l. 4. ad
an. 1315.
p. 672.

Vaticinium firmavit eventus. Quippe haud multò poſt, apro in equum, cui Rex infidebat, furioſius irruente, Philippus interiit. Tres quoque ipſius filii modico intervallo extincti ſunt, uxoribus eorum in adulterio deprehenſis. Ejuſdem prophetiæ meminit Villanius.

Joan. Vil-
lan. l. 8.
c. 64.

Ceterum ſine injuria negari nequit, Bonifacium fuiſſe magni nominis Papam. Sanctam ipſe Jubilæi ſolemnitatem, animabus adeo ſalutarem, primus inſtituit corpusque ipſius anno 1605. ducentis duobus ab ejus obitu annis, integrum experſque corruptionis repertum fuit, ut conſtat ex proceſſu verbali inſculpto ſepulcro ejus Romæ in Eccleſia S. Petri.

§. V.

De Diſſidio Ludovici XII. cum Julio II.

Julius II. Pontifex inito contra Gallos foedere, ac præ ſe ferens quandam ſtudio partium animoſitatem, quæ communem Chriſtianorum Patrem parum deceat; Impulit Ludovicum XII. ut Concilium Nationale Turoni inſtitueret: in quo ſequentes de auctoritate Pontificis quæſtiones propoſuit:

Apud
Lud. Bail
Summâ
Concil.
tom. 2.

An ob odium notorium & aggreſſionem injuſtam liceat Principi ſe ſubtrahere ab obedientia hujusmodi Pontificis? Concluſum per Concilium: Principem ab obedientia Papa ſe poſſe ſubducere ac ſubtrahere: non tamen in totum & indiſtinctè, ſed pro tuitione tantùm ac deſenſione jurium ſuorum temporalium.

Si Pontifex injuſtè, ordine juris non ſervato, proce-

procedens de facto, & manu armata, pronuntiet ac publicet aliquas censuras contra Principes sibi resistentes eorumque subditos & consœderatos, an ei parendum sit, & quod remedium adhibendum? Conclufum per Concilium: Talem sententiam nullam esse, nec de jure, vel alio quocumque modo ligare.

Catholici hunc Turonensem Conventum inter Conciliabula computarunt. Scribitque Ludovicus Bail, Ex his diffinitionibus Concilii intelligi potest quàm Schisma perniciosum sit, ex quo filii sese contra Patrem armandi materiam arripiunt. Referensque alterius, qui de hac materia scripsit, auctoris verba, subjungit: Qui tollunt amicitiam inter Papam & Regem, a què peccant, ac si quis Solem tolleret de mundo.

Summâ
Concil.
tom. 2.
p. 628.

Quo tempore hujus tempestatibus fluctibus jactabatur Petri navicula, avidi gubernaculo succedendi Cardinales quidam, à Julio Pontifice recesserunt, fretique Imperatoris & Regis Galliarum favore, Concilium Generale Pisæ celebrandum indixere.

Ludovicus XII. eò misit Galliarum Episcopos, multumque urgebat Imperatorem, ut ad idem Concilium mitteret Prælatos Germaniæ. Hi verò in ipsa Germania congregati responderunt, censere se Conventum Pisanum merum esse Conciliabulum. Julius excommunicavit Regem Franciæ, urbemque Pisam Interdicto subjecit. Cives Pisani Pontifici obtemperarunt, & nihil curantes Ludovici copias militares, urbe sua expulerunt congregatos Episcopos, qui Mediolani quoque residere prohibiti, tandem Lugdunum confugerunt. Quin etiam, tametsi Galli ad Ravennam victoria potiti, Mediolanum

Pallavicini.
Historia
Concil.
Trid. c. 1.

duxissent captivum Joannem Mediceum Cardinalem, exercitus Pontificii Legatum; haud tamen Victores milites cohibuerunt se, quin confluerent ad Legatum Christi Vicarii, absolutionem postulantes, quod contra Ecclesiam arma captassent. Tanta inest Christiano populo Religionis vis.

Julius Pontifex Concilium Romæ generale indixit: quod Ludovicus Rex probare coactus, Legatos misit, qui Episcopis congregatis regium mandatum perferrent, quo, repudiato Concilio Pisano, Lateranensi se velle adherere Rex testabatur in hæc verba. *Considerans quanta sit in his & ceteris rebus omnibus Summi Pontificis auctoritas, paternis Sua Sanctitatis monitis & suasionibus abundè permotus, quippe qui illius auctoritati & sententiæ potius quàm alterius cujusque mortalium, sanctiùs & severiùs semper stare judicavi, præsertim ubi scandalum Ecclesiæ imminet & scissura.... Hinc est quod Christianissimi Ludovici Francorum Regis procuratores.... ejusdem Regis nomine & mandato, cum ea qua decuit reverentia atque humilitate à dicto prætenso Pisano Concilio penitus discesserunt, illique plenariè renuntiaverunt, ac purè, liberè & simpliciter Sacrosancto Concilio Lateranensi prædicto, tanquam vero, unico & legitimo, adhererent. Præterea Rex promittit effecturum se, ut qui Concilium Pisis celebraverunt Prælati, oratores supplices ad Leonem Pontificem mittant, qui Concilio Pisano purè & simpliciter renuntiabunt, illudque abjurabunt, & veniam atque absolutionem à Sua Sanctitate humiliter in forma convenienti postulabunt.*

Galliarum Episcopi; qui prætenso Pisano Concilio interfuerant, deputatos à se Romam miserunt, qui suo nomine testarentur adherere

Mandarum Regis Francorum inter acta Concilii Lateran. sub Leone X. Sess. 8.

Excusatio Prælatorum Gallicorum. Ibid. Sess. 9.

rere se Sacrosancto Concilio Lateranensi, atque omnino Pisano Concilio renuntiare; quique humiliter à Leone X. Summo Pontifice absolutionem peterent à Censuris, si quas incurrissent. Estque observatione dignum, quod Galliae oratores coram Lateranensi Concilio fuerint conquesti, quòd Galli Episcopi in Romano itinere, ne pergerent, fuerint retenti *propter inimicorum Christianissimi Regis & regni, insidias eis paratas.*

Denique ipsae regni Supremae Curiae submiserunt se auctoritati Concilii Lateranensis: ac nominatim Aquenses coacti fuerunt eò mittere Legatos suos, petituros absolutionem ab excommunicatione, quam Concilium in membra istarum Curiarum fulminaverat, eo quod Jurisdictionem Ecclesiasticam sibi arrogassent. Atque adeo S. Sedis auctoritas in rebus fidei concernentibus hìc iterum triumphavit.

Talis fuit omni tempore Regum Franciae, ipsorumque Francorum religio. Cathedrae S. Petri nexu indissolubili adherentes, à qua fidem acceperant, Interdicta Censurasque Pontificum, quantum ad spiritualia attinet, religiosissima veneratione observarunt. Hæc est praxis ususque antiquus regni Christianissimi; hæc verissimæ solidissimæque libertates Gallicanæ. Hujus membrorum cum Capite Ecclesiae unitatis inimici ad earumdem libertatum abusum, velut ad asylum confugiunt, ut Schisma stabiliant. Larvam hanc detrahere necesse est, ne sub specioso libertatum Gallicanarum velo simplicioribus pergant illudere.



CAPUT VIII.

De Libertatum Gallicanarum abusu
ad fovendum Schisma.

§. I.

Qui de Libertatibus Gallicanis scripserunt auctores, eas ad fovendum Schisma perperam extenderunt.

Quemadmodum verarum Libertatum Gallicanarum sanctus est usus legitimus, ita inductus à Novatoribus abusus periculosissimus. Mirum est ni sentiat Ecclesia Gallicana profundum sibi infligi vulnus, sicamque lateri hæere, dum sub fucato prætextu libertatis ad veram servitutem redigitur, rupto inter hanc & Sedem Apostolicam vinculo unitatis. Haud esset demonstratu difficile eo collimare eos, qui nil nisi libertatum istarum jura crepant. Verùm ne in delicata materia cespitemus, Dominum de Marca loquentem audiamus. Testimonium ejus Gallicæ Magistratibus nequit esse suspectum. Prius enim Foro sæculari præfedit, quam præfideret Clero: primaque reipsa Magistratus occupabat Sedes, quo tempore librum *De concordia Sacerdotii & Imperii* composuit.

In ipso Operis sui exordio fatetur, duobus Tomis, quorum titulus est, *Libertates Ecclesiæ Gallicanæ*, aliquot contineri impias sententias: nimirum, *nihil juris in Gallicanas Ecclesias Romano Pontifici sex primis sæculis competitivisse*: Clodoveo
tempo-

temporibus Regem summum in terris, & primum à Christo Caput Ecclesia Gallicana fuisse, non autem Papam: non licere Papam extra Diocesim suam excommunicationes ferre: & ejus generis alia. Hæc porro dogmata in Ecclesiam Gallicanam intrudere, quid quæso aliud est, quàm in Regno Christianissimo doctrinam & Hierarchiam Anglicanam stabilire?

Dominus de Marca alio loco refert septem dogmata Apostolicæ Sedi injuriosissima, quæ non solum à Carolo Molinæo, sed ab aliis quoque qui de Libertatibus scripserunt, tradita fuisse testatur. Horum septimum erat, Gallis competere jus eligendi & constituendi supremum aliquem Patriarcham, si Pontifex regis rationibus sese non accommodet. Quæ dogmata vir doctissimus, etiam dum Magistratum gereret, maximè est detestatus, declaravitque, omnes suas rationes & consilia ad restaurandam Ecclesie auctoritatem spectasse, & impugnandas novas regulas, quæ in Curias seculares ab iis qui harum rerum minus periti sunt, paulatim inducuntur. Post hæc an decorum est citare velut totidem Nationis Gallicæ oracula auctores istos, qui de his Libertatibus scripserunt?

Multo minus suspectum esse debet datum à Conventu Cleri anno 1682. testimonium. Hujus Conventûs Prælati, quantumvis Libertatum Gallicanarum tenacissimi, falsi nihilominus sunt nonnullos iis abuti ad solvendum vinculum unitatis. Non desunt qui tuendarum libertatum prætextu non timent S. Petri labefactare Primatum, uti & Successorum ejus Romanorum Pontificum à Christo institutorum, obedientiamque ipsis ab omnibus Christianis debitam, ac violare Sedis Apostolicæ Majestatem, cunctis

Litura
Censuræ
Romanæ,
inter Pro-
legom.
edit. ult.
Marca in-
ter Prole-
gom Con-
cordiæ
p. 54.

Nationibus venerabilem : in qua Sede prædicatur fides , & unitas conservatur.

Prætenſi illi Libertatum Gallicanarum patroni, Pontifici ſemper contrarii, teſte Cardinale de Rochefoucault prætendunt, Catholicos ſe eſſe, non Romanos, ſed Gallos, eâdem abſurditate ac ſi dicerent, univerſales ſe eſſe, ſed ſingulares. Ad mali hujus venenum detegendum, inſpicere duntaxat opus eſt cenſuram Cleri contra librum de Libertatibus latam.

§. II.

*Cenſura Cleri Gallicani contra librum
cui titulus : Libertates Eccleſiæ
Gallicanæ.*

QUamprimum liber ille lucem aſpexit, quotquot tum temporis Pariſiis verſabantur Epifcopi, apud Cardinalem de Rochefoucault convenerunt, & ad omnes Galliarum Prælatos ſequentem miſerunt Epifto- lam, quâ eis notam facerent latam contra hoc opus Cenſuram.

*In hac regni Metropoli, abſque nomine auctoris & authentico privilegio recens impreſſa ſunt volumina duo, quorum prioris titulus eſt : De juribus & Libertatibus Eccleſiæ Gallicanæ 1639. Poſterioris : Probationes Libertatum Eccleſiæ Gallicanæ 1639. Libri hi non per veſtras ſolum Diœceſes, ſed per exterâs quoque nationes ſpar- gentur. Dæmon enim, hæreſum atque hujusmodi librorum auctor & artifex, has facies non niſi ad ſpargendum incendium excitat... Quantum dulcis & amabilis eſt iſtorum librorum titulus, tantum ſub eo latet veneni mortiferi. Itaque infelix
hic*

hic compilator, quiscumque sit, eos est imitatus, qui toxicum, ne respuatur, sub melle occultant. Nemo Christianam fidem, Ecclesiam Catholicam, Ecclesiasticam disciplinam, Regisque ac regni incolumitatem impugnavit doctrinâ periculosiori quàm lateat sub hoc titulo specioso. Sanè compilator hic more Hæreticorum & Schismaticorum bonas malis miscuit, & tot falsis, quas detestamur, & hæreticis Libertatibus vera quædam Regis jura, & privilegia Ecclesiæ Gallicanæ inseruit.... Notum vobis facimus, publico nos judicio declarasse, utrumque volumen singulis ferè lineis perniciosum esse, ubique Hæreticum, Schismaticum, impium, verbo Dei contrarium, &c. 9. Febr. 1639. Privatum Regis Concilium eundem librum suppressit.

Itaque inter libertates Gallicanas præteritas quædam sunt falsæ, Schismatica, Hæretica, fidei Christiana & Religionis Catholica regulas impugnant, ac denique Regis regnique salutis contrariæ. Rei hujusce veritas ex citata Cleri Censura patescit. Non est cur Galliarum Episcopi gratias agant editoribus novorum Monumentorum Cleri, qui in ultima editio-
ne hoc, quod citavimus, Monumentum Prædecessoribus suis gloriosissimum suppresserunt.

§. III.

Difficultas determinandi in quo præcisè Gallicanæ libertates consistant, ab usum earundem faciliorem reddit.

DE libertatibus suis loquuntur Galli omnes: in quo sitæ sint, explicat nemo, paucique præstare id possent. Materix per se
F 4 obscuræ

obscuræ tenebras duplicat mira diversitas sentiendi, cui nullam auctores antiqui adferre lucem possunt, cum teste recentiore historico Gallo nulla usquam ante seculum decimumtertium mentio fiat *libertatum Ecclesia Gallicana.*

D Fleury
Hist. Ec-
clesiast.
tom. 17.

Fateor convenire passim omnes in eo, quòd controversæ libertates consistant in jure sequendi Canones antiquos: sed rem parum aut nihil elucidat hæc definitio. Qui sunt enim antiqui hi Canones? Quem obtinere debent antiquitatis gradum? Si in usum disciplinæ Ecclesiæ Gallicanæ revocare quis vellet partem maximam Canonum antiquorum, nonne se opponerent supremæ regni Curia? An non pro temporum varietate varianda quandoque est Ecclesiæ disciplina? A quo autem de necessitate mutandæ hujusmodi disciplinæ est judicandum, nisi à Pontifice, Episcopis, Conciliis generalibus?

Ab annis circiter quinquaginta Bullæ Pontificum coeptæ sunt primùm in publicas supremarum Curiarum tabulas referri; ususque tam recens inter libertates Gallicanas hodie numeratur: neque multò antiquius contra has Bullas interpositis appellationibus exceptum fuit. An hæ exceptiones appellationesque antiquorum aut recentium Canonum auctoritate nituntur? Discernendum probandumque imprimis foret, quid ceteris Catholicis Nationibus plus hic juris habeant Galli, & quo id titulo acquisiverint. Sed de hac re altum apud omnes silentium. Dignum est admiratione, quòd D Du Puy ad probandas *Ecclesia Gallicana libertates* nihil adferat præter decreta Curiarum laicarum, & extracta quædam

quædam ex publicis tabulis Universitatum.

Ex hac rerum incertarum caligine Novatores attollentes caput, quidquid Pontificum & Episcoporum auctoritati contrarium machinantur, libertatum Gallicanarum fucò colorant. Nulla est amplius, si hos audimus, Ecclesiæ libertas, sed mera servitus, quâ laicæ jurisdictioni Christi Sponsa subjicitur.

De hac servitute anno 1614. coram Rege conquestus est Clerus Gallicanus. *Tantum abest, inquit Episcopi, ut Judices seculares justas Ecclesiæ Gallicanæ Libertates defendant, iisque regnum tuum ornent ac protegant, ut eas potius adeo densis tenebris involvant, ut quod in defensionem cedere oporteret, vertatur in oppressionem Ecclesiæ. Cujusce rei causa est, tum ipsa materia obscuritas, tum studiosa illa perplexaque suspensio, quâ animos in incerto tenent.*

Hæc Laïcarum Curiarum juris alieni usurpatio scriptori cuidam præbuit occasionem definiendi, Libertates Ecclesiæ Gallicanæ nihil aliud esse quàm *oppressionem jurisdictionis Ecclesiasticæ à Laïca, & depressionem auctoritatis Romani Pontificis à Clero Gallicano.*

§. IV.

Infalibilitas Pontificis, & supra Concilium auctoritas non officit Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.

Dominum de Marca iterum hac de re differentem audiamus. Sepositâ tantisper viri auctoritate, nemo sapiens argumentis ejus non vincetur. Solet, inquit, à

Libel. supplex Regi oblat. art. 24.

Tract. de Libert. Gallic p. 39. Leodii anno 1684.

Marca de Concord. l. 3. c. 7.

menicum

menicum superius esse Summo Pontifice; unde sequatur nihil à Sedis Apostolicae Prasulibus tentari posse, quod Synodorum Generalium definitionibus adversetur.... Attamen si cum bona Magistrorum venia, id quod sentio liberè profiteri liceat; existimo Libertates Ecclesie Gallicanae hoc axioma non omnino niti. Qui Romani Pontificis odium in has Libertates concitant, id præcipuè urgent, eas alia ratione constare non posse, quàm Apostolicae Sedis dignitate in eo maximè imminuta, quòd Pontifex Concilii Generalis auctoritati subjiciatur. Attamen hac sententia, etsi in Schola Parisiensi & ceteris hujus regni Academiis certissima habeatur, in Foro apud nos non disceptatur; qui Libertates perinde tuemur, si de Concilii Generalis novis Decretis, ac si de Romani Pontificis Constitutionibus agatur. Quin etiam receptos mores & consuetudines Ecclesie Gallicanae, nostro usui commodas, adeo retinemus, ut etsi Canone Concilii Generalis destituamur, quo illa firmata sint, tamen ab iis nobis discedendum esse non censeamus. Quare non est quod hæreamus in ea regula, quæ Romanis stomachum movet, & quæ rebus nostris non prospicit, ut par est. Fruatur Summus Pontifex aut æquo jure cum Conciliis Generalibus, aut superiori: illud unum in Foro expendetur, an nova Constitutio, vel novum Rescriptum rebus Gallicanis consulat. Si receptos Canones vel receptos mores infringat aliquo pacto, ejus ratio non habebitur, nisi consensu publico accedente.

Dicamus quod res est. Si Decreta Pontificum Libertatibus suis contraria, ex eo præcisè capite admittere recusent Galli, quòd Papa non sit infallibilis; quo prætextu rejicere poterunt Decreta Concilii Generalis, quæ iisdem Libertatibus existimant contraria, quod variis Concilii Tridentini Decre-

tis factum arbitrantur? Quare si Generalis Synodi infallibilitate nullum putent Libertatibus suis adferri præjudicium, quid est quòd Pontificis infallibilitate terreantur?

Parum ergo libertates suas muniunt, si has Pontificum infallibilitate everti prætendant. Præterea si libertates hæc in sola opinione, Pontificem in rebus fidei definiendis fallibilem statuente, fundentur; fundamento nituntur admodum ruinoso. In sola Gallia hæc defenditur opinio, quæ ipsis etiam Gallis, Gersone & Majore fatentibus, ante seculum decimumtertium fuit ignota. Quin ad annum usque 1682. de Pontificis infallibilitate sententia in ipsa Gallia fuit communior: quo primùm tempore, ob turbas enatas, nonnullos Romam vexandi incessit libido. Gallisne utile foret & decorum fateri, S. Thomam, S. Bonaventuram, Cardinales Perronium, Richelium, de Rochefoucault, Doctores Duvallium, Mauderum &c. Patrem Thomassinum, ipsosque Cleri Gallicani Conventus, asserendo Pontificis infallibilitatem, Libertates Gallicanas funditus evertisse? Quod si ea ipsorum sententia iis libertatibus nihil offecerit, eccur tam invidiosè sine causa traducitur?

§. V.

Quanta sint auctoritatis, quos cen libertatum Gallicanarum patronos nonnulli suspiciunt.

Patronus earum Libertatum princeps habetur Gersonius, quòd Theologorum sit primus, qui Concilii supra Pontificis aucto-

auctoritatem in rebus fidei dirimendis erexit. Sed 1. jam demonstratum est, ex hac opinione Libertates Gallicanas nihil habere praesidii 2. Eam opinionem tempore Schismatis excogitavit Gersonius, ut eo facilius schismatica tolleretur divisio, quâ ob duos de Tiara confluentes Pontifices Ecclesia scindebatur. Porro extra dubium est, cum de vero inter duos Pontifice ambigitur, & quis eorum legitimus sit habendus ignoratur, eo casu Concilium Pontifice esse superius. Si ultra hos limites opinionem suam extenderit Gersonius, non id fecit nisi ut firmius stabiliret Concilii auctoritatem, ad tollendum Schisma necessariam. 3. Non oportet genuinum Gallum tanti facere Gersonii auctoritatem contra Pontificem, si expendat, eam pari jure verti posse contra Regem: neque enim plus Regibus quam Pontificibus favet. Potestatem communitati adscribit Gersonius auctoritatis deponendique Reges, & loco plus quam uno tyrannicidium esse licitum docet. *Si Princeps, inquit, Subditos manifestè & cum obstinatione in injuria & de facto persequatur; tunc regula hac naturalis: VIM VI REPELLERE LICET: locum habet. Et id Seneca in Tragædiis, NULLA DEO GRATIOR VICTIMA QUAM TYRANNUS.*

Gerson
Concil. 7.
ad Principes contra adulatores t. 4. nov. edit. p. 614. & alios.

Præterea inter Libertatum patronos recensentur Major & Almainus. Sed 1. ambo isti Theologi, dissidio Ludovici XII. cum Julio II. flagrante scripserunt. 2. Ut Concilio subjiciant Pontificem, communitati subjiciunt Regem; afferuntque jure legitimo usos fuisse Gallos, dum Childerico sceptrum coronamque extorserunt.

Lau-

Launoïus quoque & Richerius, sub specioso defendendarum Libertatum prætextu, deprimere auctoritatem Pontificiam sunt conati. Sed istorum, ob exoticas opiniones, adeo vilis est auctoritas, ut ejusmodi patronis gloriari nemo ausit.

Dominus du Puy Tractatus undecim compilavit, à Regiis Administris, Advocatis, Laicisque compositos, quo tempore Gallia cum Romana Curia committebatur. Horum etiam Tractatum nonnulli auctores habent hæreticos. Cujus ponderis esse possunt auctores ejusmodi, quando de rebus merè Ecclesiasticis agitur?

Dominus de Marca, qui scripto confutavit Tractatus illos, iis in argumentis, quibus in sublimiorem apicem Francorum jura evexit, majoris esse nequit auctoritatis. Cùm enim in morbum periculosum incidisset, morsibus conscientiae vexatus, scripto instrumento retractavit, si quæ fortè legitimæ S. Sedis auctoritati contraria scripsisset. Nunc speciatim videamus, quantum prætensæ hæ Libertates Schismati faveant.



CAPUT IX.

De stabiliendo Patriarchatu.

§. I.

Sine Schismate in Gallia stabiliri non potest Patriarcha, qui ab Apostolica Sedis jurisdictione sit exemptus.

Quoties S. Sedis auctoritate premuntur Novatores, quando aliud in promptu non habent, in hanc vocem erumpunt: Quid vetat Patriarcham institui in Gallia, qui non consulto Episcopo Romano de causis Religionis decernat? An non essemus Christiani, nisi jurisdictioni subjiceremur Papali? Christiani, fateor, essetis, sed non essetis Catholici: neque enim essetis in ovili Christi, qui oves suas S. Petro & Successoribus ejus pascendas commendavit.

Patriarcha, non solum sine auctoritate Pontificis, sed contra ipsius auctoritatem stabilitus, non esset nisi mercenarius, lupusque specie Pastoris larvatus, atque idolum in templo Nationi pravaricatrici expositum. Immo ne Patriarcha quidem foret, sed Antipapa potius, utpote qui Romano Pontifici par in omnibus statueretur.

Veteres Patriarchæ hac sola de causa legitimam habebant auctoritatem, quod intra Patriarchatus sui limites, quantum attinebat ad causas majores, Romani Pontificis jurisdictioni subjicerentur. Quin & tota, quæ polle-

pollebant, auctoritas, à S. Petri auctoritate, velut rivus à fonte, derivabatur; adeo ut quidquid præ ceteris Episcopis habebant excellens, id ei acceptum referre tenerentur. Multo post Christi mortem tempore, non nisi tres erant Patriarchales Ecclesiæ, Romana, Alexandrina, Antiochena. Sed teste Hincmaro, licet tribus principalibus Sedibus Episcopi tres præsideant, una tamen Sedes est Petri.

Hincm. in opusc. 55. capitulorum c. 16.

Rem dilucidius evolvit S. Gregorius magnus. Cum multi sint Apostoli, pro ipso tamen principatu sola Apostolorum Principis Sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est.

t. 2. p. 377. edit Cramosianæ. Ad Eulogium Patriarch.

Ipse enim sublimavit Sedem, in qua etiam quiescere & vitam finire dignatus est. Ipse decoravit Sedem, in quam Evangelistam discipulum misit.

Alexand. vet. edit. 1. 6. ep. 37. novæ l. 7. ep. 40.

Ipse firmavit Sedem, in qua septem annis, quamvis discessurus sedit. Et S. Innocentius I. ad Alexandrum Patriarcham Antiochenum scribens, ait de Sede Antiochena: Quæ urbs

Tom. 2. Concil. Labb. p. 1265.

Roma Sedi non cederet, nisi quod illa in transitu meruit, ista susceptum apud se, consummatumque gaudet. Atque ita cum trium illarum Sedium sublimitas in sola Principis Apostolorum auctoritate fundata fuerit, nefas est similem hodie stabilire Sedem contra S. Petri auctoritatem, & Sede Apostolica invita.

Si jus haberet Gallia erigendi Sedem Patriarchalem, jus idem regnis ceteris absque dubio competeret. Si autem regnum aliud jus sibi illud arroget, particularibus ejusdem Regni Provinciis quo titulo denegabitur? Quod si concedatur, nonne actum erit de unitate Ecclesiæ? Nonne inconsutilis Christi tunica in plures scindetur partes quam

quam

quàm olim Prophetæ pallium, in qua scissura, regni Salomonis divisio significabatur? Nihil excogitari posset Ecclesiæ perniciosius. Marcus Antonius de Dominis, auctoritatis & Hierarchiæ Ecclesiasticæ infensissimus hostis, non faciliorem eas destruendi judicavit viam, quàm si crearentur Patriarchæ à Romana jurisdictione exempti. *Commodè, inquit, & opportunè posset tota Ecclesia Gallicana summum Primatem Lugdunensem plenè Patriarcham summum agnoscere: Hispania Toletanum: Anglia, Scotia & Hibernia Cantuariensem: Germania Moguntinum.*

Lib. 3. de
Rep.

Verùm, inquiunt, non obstaret novi Patriarchæ electio, quo minùs Primatus concederetur Romano Episcopo, & primarius censeretur Jesu Christi Vicarius. At qualis Primatus? Nempe solo titulo speciosus, re vacuus: qualem in Alexandrino Patriarcha agnoscebat Antiochenus; aut qualem etiam hodie in Romano Pontifice agnoscunt Schismatici Orientis. Quippe ipsum fatentur primarium esse Christi Vicarium; nec alia de causa Schismatici sunt, nisi quia post Photii separationem, Romani Pontificis jurisdictioni subjicere se noluerunt.

At cur sine S. Sedis auctoritate & consensu eligi non posset Patriarcha, modò is in causis majoribus Pontificis jurisdictioni foret subjectus? Verùm Patriarcham ejusmodi non cuperent Novatores, ac Galli Catholici multo minus; cum Romanus Pontifex verus sit eorum Patriarcha, ut jam monstrabimus.

§. II.

Pontifex praterquam quod sit Caput visibile totius Ecclesiae, est speciatim Patriarcha Occidentis.

Sola hæc veritas sufficit ad demonstrandum, quod sine Schismatis crimine novus institui nequeat Patriarcha. Quod autem Pontifex sit Occidentis Patriarcha, licet à solis Hæreticis negari possit, tamen sequentibus argumentis evincitur.

I. Speciali S. Sedis jurisdictioni subjectæ semper fuerunt Occidentis Ecclesiae, propterea quod ipsa sit Ecclesia Princeps & Mater, quæ ceteras omnes Jesu Christo peperit. Manifestum est, inquit S. Innocentius I. *In omnem Italiam, Gallias, Hispanias, Africam atque Siciliam, insulasque interjacentes, nullum instituisse Ecclesias, nisi eos quos Petrus, aut ejus Successores constituerunt Sacerdotes.* Atqui ex Historia Ecclesiastica manifestum est, eas Provincias isti Patriarchæ fuisse subjectas, à quo recenter ad fidem fuerant conversæ.

Innoc. I.
ep. ad Decent. Eugub. t. 2.
Concil. Labbean.
p. 1245.

2. Pontifices in universo Occidente, ac præsertim in Gallia, omni jure Patriarchatui annexo quovis tempore constanter sunt usi. Nam Metropolitanas Ecclesias instituerunt, crexerunt Episcopatus, de electionibus judicarunt: Vicarios quoque Apostolicos nominarunt, qui S. Sedis nomine commissum sibi munus exercuerunt. Hæc omnium temporum possessio, quâ gavisi sunt Pontifices, evidens est juris eorum probatio.

3. Sancti Patres & Concilia asseruere, universum Occidentem Romano Patriarchatui

G fuisse

Ad Mar-
cum Pres-
byterum
ep. 77. vet.
edit.

fuisse subjectum. S. Hieronymus, *Hereticum me cum Occidente, hereticum cum Ægypto, hoc est cum Damaso (Romano) Petroque (Alexandrino) condemnent.* Quibus verbis S. Doctor significat, Damasum Papam Romanum talem habuisse jurisdictionem in Occidentem, qualem in Ægyptum habuit Petrus Episcopus Alexandrinus.

Lib. 1.
contra Ju-
lian. c. 4.

S. Augustinus postquam Julianum pressit testimoniis Cypriani pro Africa, Olympii pro Hispania, Irenæi, Reticii, & Hilarii pro Gallia, Ambrosii pro Italia; subjungit: *An ideo contemnendos putas, quia Occidentalis Ecclesia sunt omnes? . . . Puto eam tibi partem orbis sufficere debere, in qua primum Apostolorum suorum voluit Dominus gloriosissimo Martyrio coronare. Cui Ecclesie Præsidentem B. Innocentium si audire voluisses, jam tunc periculosam juventutem tuam Pelagianis laqueis exuisses.* Itaque, juxta S. Augustinum, S. Innocentius Papa speciatim præsidebat universæ Occidentis Ecclesie, quæ per omnes Provincias, in quibus Sedes suas habebant citati ab eo Doctores Sancti, dispersa erat.

Bas. ep. 10.

S. Basilius Romanum Pontificem vocat Occidentalium Coryphæum. Justinianus Imperator in quinque Patriarchatus Orbem Christianum dispersiens, Romano Episcopo universum Occidentem adscribit. *Omnes, inquit, totius orbis Patriarche, tam Roma occidentalis, quam hujus regie urbis (Constantinopolis) & Alexandria, & Theopolis (Antiochia) & Hierosolymorum, & omnes sub iis constituti religiosissimi Episcopi, uno ore Apostolicam fidem & traditionem prædicant.* Non est opus monere, *Hesperiam*, quam Justinianus vocat, significare *Occidentem*: quippe quæ ab *Hespero* stella Occidentis nomen sortitur. Con-

Novell.
109.

Concilium Nicænum ait, *Mos antiquus perdu-* Can. 6.
ret in Ægypto, vel Libya & Pentapoli, ut Alexandri-
nus Episcopus horum omnium habeat potestatem,
quoniam quidem & Episcopo Romano parilis mos est.

4. Schismatici Græci, quamquam ipso-
rum intererat restringere auctoritatem Pa-
palem, fatentur nihilominus, Patriarcha-
tum Romanum per universum Occidentem
extendi. Nilus Archiepiscopus Theffaloni-
censis testatur, datum esse Episcopo Ro-
mano, ut præsit omnibus occidentalibus. De Prima-
Barlaam & Zonaras Monachi jus idem Pon- tu Papa.
tifici tribuunt: estque res hæc tam manifesta,
ut ne eam quidem Jacobus I. Angliæ Rex in- Jacobus
ficiatus, Romanum Pontificem Occidentis Rex in
Patriarcham agnoscat. Scio, inquit Patriarchas Apolog.
in Ecclesia primitiva extitisse; sed & inter illos de pro ju-
principatu magna contentione certatum est: quod si ranti. fide-
in eo quaestio adhuc verteretur, meo libens suffragio litatis.
primum locum Episcopo Romano deserrem: ego Occi-
dentalis Rex Occidentali Patriarcha adhererem.

§. III.

*A Patriarchatu in Gallia erigendo
semper Galli abhorruerunt.*

Quantumcumque ferventia inter Galliarum
Reges & Pontifices orta fuerint dissidia,
nunquam Regibus subiit cogitatio, ut se in-
stitutione Patriarchatus, S. Sedis jurisdictioni
subducerent. Quod argumento est, eos
id facinus constanter exhorruisse. E converso
quoties in solam rei hujus tentandæ suspicio-
nem venerunt, id graviter molestèque tulerunt,
velut Nationi suæ summè injuriosum.
Neque aliam ob causam Optatus Gallus om-
nium

nium regni Ordinum indignationem incurrit, nisi quòd Galliam, institutione Patriarchatus, de meditato Schismate accusaret. Hunc libellum damnavit Curia velut seditiosum, *natumque scindere unitatem Pontificem inter & Regem, S. Sedi semper devotissimum, quales & sunt subditi, exemplum ejus secuti.*

Manda-
tum Par-
lamenti
23 Martii
1640.

Anno
1640.

Concilium Provinciale Parisiis celebratum damnavit eundem libellum uti Gallis omnibus injuriosum ob motam Schismatis suspicionem: *cujus per Dei gratiam, inquit Prælati, ne umbram quidem nos inter reperias.* Huic Censuræ, quotquot tum erant Parisiis, Episcopi subscripsere. Mirum est porro, inter recenter edita Cleri monumenta non reperiri Censuram hanc; tametsi illic reperiat quædam Inquisitionis Censura lata in Scriptum quoddam contra *Optatum Gallum*, quod fuerat in Galliæ vindicationem promulgatum.

De con-
sensu Hie-
rarchæ &
Mo. ar-
chæ p. 104
de som-
nio Pa-
triar. ha-
tus.

Habertus, postmodum Vabrensis Episcopus, *Optati* de meditato à Gallis Patriarchatu deliria refutans, ait: *Novum quidem ac insolens, cunctisque retrò Ecclesiæ atatibus inauditum, aliquem à Pontificis Romani potestate & communione secessisse, & contrariam illius Cathedræ Sedem erexisse sub nomine Patriarchæ, qui antea Patriarcha non esset. . . . Ex illis sublimioribus Patriarchis multi in Romanum Pontificem, Episcopum Patriarcharum insultaverunt. . . . In Occidente verò quis unquam Episcoporum adversus Romani Pontificis Auctoritatem Patriarchæ nomen assumpsit? Potestatem usurpavit?*

Soli ergò Schismatici inter dogmata Liberatum Ecclesiæ Gallicanæ recensere possunt, quòd *Patriarcha stabiliri possit in Gallia, si Regi Papa non placeat.* Sed à quo tandem Patriarcha

cha

cha ille dignitatem auctoritatemque ceteris Episcopis superiorem acciperet? A Galliae Prælati? At nemo dat quod non habet: præterquam quòd Prælati in præjudicium & gravamen Successorum suorum statuere nihil possint. An ergo ab ipso Rege? At nullus verè Catholicus Rex jus sibi arrogat novam stabiliendi potestatem spiritualem: Et quo demùm titulo jus sibi Patriarchatum instituendi arrogaret Galliae Rex, qui ne novum quidem Episcopatum erigere potest sine S. Sedis auctoritate?

Cum Childebertus Episcopatum Meloduni erigere meditaretur, Leo Archiepiscopus Senonensis ipsi significavit id esse Sacris Canonibus contrarium. Monitioni Princeps acquievit. Sigebertus longiùs progressus, Episcopum Castelloduni re ipsa ordinari jufferat: sed Concilium Parisiense facti irregularitatem ipsi exposuit tantâ efficaciam, ut mox extinctus fuerit Episcopatus ille novus.

Verùm etsi Magistratus nonnulli non tantum à Patriarchatu abhorrent, quantum abhorrent re ipsâ; quisquamne sibi adeo blandiri posset, ut crederet consensuros Galliae Episcopos? Ne quid dicam de sensu quem ipsis inspirat religio; an non illis & dulcius est & gloriosius, S. Sedi immediatè submitti? Si enim novo Patriarchæ sic subessent, ut non propterea ab ea, quam jam debent Apostolica Sedi, obedientiam eximerentur; antiquo jugo adderetur novum. Sin autem, valedicto Pontifice, soli parèrent Patriarchæ, nec jam Catholici essent, nec fortis etiam melioris; cum idem obedientiae jugum, mutato dumtaxat Superiore, subirent.

Non est inutile hoc loco observare, si stabilito Patriarchatu pristina maneret Pontificis in Gallos jurisdictio, nihil profuturum Patriarcham Novatorum intento. Si autem subtrahant se Pontificis jurisdictioni, Religio everitur Catholica: & in hoc systemate non Patriarchatus solum, sed etiam Episcopatus esset inutilis, brevique interiturus. Eruditus quidam Calvinista animo sincero professus est, *si talis crearetur Patriarcha, consequenter necessarium fore, ut hi penes quos stat regimen, novam in regnum ipsum introducant Religionem.*

Bayle.
Nova de
Republ.
litteraria.
Julius an.
1685. p.
712.

§. IV.

*De dissolvendo pacto, seu ut vocant,
Concordato.*

Quemadmodum Pactum initum inter Leonem X. & Franciscum I. vinculum est quo Galliae reges Sedi Apostolicae arctissime colligantur, ita qui in Schisma propendent, de hoc dissolvendo mussitant. Dissolutione Pacti viam sterni existimant ad Patriarchatum, aut saltem multum sibi emolumentum obventurum imaginantur. Quapropter verbo rem hanc attingere visum est, ut quo fine hæc quidam subdolè machinentur appareat.

Non est hic locus ostendendi Pacti æquitatem, commoda quæ regno procuravit, & quæ cavit mala. Notasse sufficiat, eos qui id solvi cuperent, non minus malum in Regem quàm in Pontificem animum prode-
re. Conantur enim pretiosissimam Regali coronæ gemmam surripere.

Enim-

Enimvero jus Regis Galliae præcellentissimum est, ut ad omnes Regni Episcopatus & Abbatias promovendos nominet. Hac ratione omnium est moderator ac distributor gratiarum; Nobilitati merenti consulit, Clerum sibi devincit, nihil metuit de fidelitate populorum. Atqui hoc jus Principi ex Pacto illo seu Concordato acquisitum est: quo si privetur, nulli gratiam conferre Rex poterit; cum omnia fere tam belli, quam Curiae munia sint venalia. Interea nec absolute potens est Princeps, nec cordibus subditorum dominatur, nisi liberarum obtineat arbitrium gratiarum.

2. His non obstantibus, si qui forent animo tam obfirmato, ut Pactum illud irritari solvique vellent; an saltem id fieri posset sub Rege minorenni? Præsertim cum tanta auctoritate conceptum firmatumque sit, quanta ad stabiliendam legem requiritur. Pontificis, Concilii generalis, Regis, supremarum Curiarum intervênit auctoritas, fâteturque Gerbasius, *in legem municipalem transisse.*

Gerbas. de
Causis
majorib.


Sanctionem Pragmaticam, Regiâ, Pontificiâ, & generalis Concilii auctoritate dudum abrogatam, revocari quidam restituique in integrum desiderant. De hac Ludovicus XI. ad Pium II. Pontificem scribens, fâtetur, *in seditione, & Schismatis tempore, atque per seditionem, sectionis à tua Sede figuram, natam esse. . . ab inferioribus Prelatis latam, quomodo, ut Scriptura loquitur, si elevetur Virga contra levantem se.* Mirum est valde quod de hac reducenda publicis Thesibus disputetur. Fateor hanc Sanctionem quibusdam Universitatum membris sperantibus ad pingua

Inter acta
Concil.
Lateran.
Sess. 4.

maximèque honorifica beneficia viâ electionis assumi, opportunam commodamque futuram: sed an hac ratione, nobilitatis, regni, Regisque ipsius honori utilitatique consulere-
retur?

Thomaf.
fin. tom. 3.
de Benef.
l. 1. c. 43.
n. 17.
Fevret l. 2
de Abus.

Quantum ad Pragmaticam attinet, quæ S. Ludovico tribuitur, eam non genuinam, sed supposititiam esse demonstravit Thomafinus: nec Juri Pontificio quidquam officere Fevretius fatetur.



C A P U T X.

De Appellatione à Pontifice ad futurum Concilium.

§ I.

Omnis à Pontifice ad futurum Concilium in materia doctrina appellatio viam sternit ad Schisma.

Appellatio ad futurum Concilium est veluti gradus Novatorum ultimus quo ab Ecclesia discedunt: suntque postremæ insidiæ, quibus animi ad Schisma pelliciuntur. Hoc ut cuivis reddatur palpabile, tantum opus est sequentibus reflexionibus.

1. Appellatio ad futurum Concilium, est formalis Ecclesiæ ipsius contemptus. Nam ut Canonica foret hæc appellatio, non satis esset quòd non sit infallibilis Pontifex; sed oporteret præterea Ecclesiam non synodaliter congregatam non esse infallibilem. Si enim Ecclesia non congregata in materia fi-
dei

dei infallibilis sit, manifestè illusoria est appellatio ad Tribunal non existens, & forte non exiturum multis seculis, contempto ejusdem infallibilitatis auctoritatisque Tribunali præsentè & existente. Atqui sine errore negari non potest Ecclesiam non congregatam infallibilem esse. Pontifex, ut Ecclesiæ Caput, judicium inchoat pronuntiando: Episcopi illud ipsum, acquiescendo consummant. Habetur jam judicium Ecclesiæ universalis, utpote omnibus fidei iudicibus in unam sententiam conspirantibus: ac per consequens habetur judicium infallibile. Condemnitur ergo Ecclesiæ ipsius auctoritas, adeoque magnis passibus ad Schisma tenditur, dum præsentis Tribunalis sententiam declinando, Orbi illuditur.

2. Ad hæc usque tempora appellatum non fuit à dogmatica S. Sedis sententia ad futurum Concilium, nisi à solis Hæreticis. Totaque Ecclesiastica Historia non adfert nisi tria ejusmodi appellationis exempla: primum quidem Episcoporum Pelagianorum, alterum Michaëlis de Cezennes Monachi Schismatici, tertium Lutheri. Hisne exemplis legitima probatur quatuor Episcoporum appellatio? Reliqua appellationum exempla fide malà citantur, cum in his de solo rerum temporarium jure agatur.

3. Nullus Novatorum, qui ad Concilium appellarunt, pronuntiatæ à Concilio sententiæ se submitit. Pelagiani à Concilio Ephesino, Lutherani à Tridentino anathemate fuerunt percussi. Novos semper, ne parèrent, excogitarunt prætextus. An his, qui hodie ad Concilium appellant, similes deessent excep-

exceptionis tricæ, si à Concilio damnarentur? Minusne antiquis Hæreticis feraces sunt cavillationum?

4. Nullius unquam (in quacumque causa) à Pontifice ad Concilium appellationis, ab ipsis quæ deinde celebrata sunt Conciliis ulla ratio habita fuit; nullum causæ, ob quam appellatum fuit, examen novum institutum. Quod signum est, ipsamet Concilia censuisse, istas in materia dogmatica appellationes ipso facto nullas & illusorias esse; in causis verò ad jura & Libertates Gallorum spectantibus factas appellationes nihil aliud esse quàm publicas protestationes nullitatis, si quid contrarium iis Pontifex statueret. Atque inutile judicatum est, materias ejusmodi Concilio decidendas proponere, ut in veris appellationibus usu venit, cum causarum istarum Galli non Concilia magis quàm Pontificem judicem agnoscant.

5. Si appellatio à dogmatica Constitutione ad Concilium esse posset ulla ratione Canonica, saltem Cleri, ipsiusque Regis auctoritate factam esse oporteret. Quare D. de Harlay in sua ad Universitatem Oratione dixit: *Necessarium existimavi, uti cautelâ interpositæ appellationis, non quasi praxi frivola & illusoria privatorum quorundam spectâ Ecclesiæ auctoritate rebellantium, atque in hæresi aut contemptrice legum libertate perseverare volentium, sed ratione officii, quo, ut publicus Regis Administer, obligor ut tam ipsi quàm regno consulam.*

6. Quid censuisset Magistratus ille de privatis à Bulla dogmatica appellantis? Nonne juxta principia à se posita, quibus fas solum duxit in rerum temporalium causis appella-

pellationem interponere, eos recensuisset in numero *rebellantium & spreta Ecclesie auctoritate in heresi perseverare volentium?*

7. Præcipui Gallie Doctores, Duvallius, D. de Marca, Thomassinus Presbyter Oratorii, Mauclercius Doctor Sorbonicus, omnem à Pontifice ad Concilium appellationem velut illegitimam, facinusque Schismaticum una voce condemnant. Horum postremum audiamus in opere Regi dedicato & supremæ Curie facultate impresso. *Si res tota, inquit, ad veritatis Ecclesiastica fideique calculum determinanda revocetur, non erit difficile nec longum valde colligere, eos qui hanc à Summo Papa judicio ad aliud justitiæ tribunal appellationem mordicus defendere non verentur, ab hærescos contagione taboque immunes omnino non videri, sed de illa valde suspectos apparere.* Citatque in hanc rem Bullam à Pio II. ad Concilium Mantuanum missam, quæ appellationes ejusmodi sub poena excommunicationis prohibentur; & eam vocat *Decretum sanctum, plenumque justitiæ & aequitate.*

8. Regii Administris jussu Philippi Pulcri Clementem V. Pontificem datis Litteris rogantes ut Bonifacium, *uti personam privatam consideratum*, tanquam Hæreticum condemnaret, hoc ipso agnoverunt, *nunquam Papam sub ea dignitate consideratum*, hoc est fideles ex Cathedra docentem, *Hæreticum esse potuisse.* Tum subjungunt: *Quapropter ut de Hæresi Bonifacii, ut personæ privati, cognoscas, non est opus advocacy Concilii Generalis. Tu ipse, Sanctissime Pater, Vicarius es Jesu Christi, totum Ecclesie corpus representans. Tibi datæ sunt claves regni cælorum; nec de ulla causa Concilium Generale*

Vide Thomassin. Dissertat. 18. in Roman. Synodum.

Mauclerc. de Monarch. tom. 1. p. 408.

Apud Thomassin. Dissertat. 18. in Concilia, p. 685

rale sine te, sed tantum per te cognoscere potest.
Non credidit ergo Philippus Pulcer, & Administri ejus, appellationem à Pontifice ad Concilium in materia fidei esse legitimam.

9. Lutheranos, non obstante Appellatione à Bulla Leonis X. ad futurum Concilium, Orbis Catholicus universus, atque ipsa imprimis Gallia uti professos Hæreticos detestata est, etiam priusquam Concilium celebraretur. A Supremis Curiis flammis damnabantur, tametsi solâ Pontificis Bullâ condemnati, quæ non nisi consensu tacito in Galliis fuerat recepta.

§. II.

Appellatio à dogmatica Constitutione ab Ecclesia recepta ad futurum Concilium, est publica Schismatis & Hæreseos professio.

Appellare à dogmatica Constitutione ab Ecclesia recepta, nihil est aliud, quàm publico instrumento separare se ab auctoritate & fide Ecclesiæ. Est ergo publica Schismatis & Hæreseos professio. Atque adeo tam evidens quod ii qui à dogmatica Constitutione appellant, Schismatici sint & Hæretici, quàm evidens est quod illa ipsa, à qua appellarunt, Constitutio recepta sit ab Ecclesia. De hoc principio nemo est qui dubitet. Sed quandonam dogmatica Constitutio dicenda est ab Ecclesia recepta? Hic cavillantur Novatores. Res hæc accuratè explicanda, ut convertantur, aut certè convincantur qui contradicunt.

Catholici omnes concedunt Ecclesiam esse
vifi-

visibilem, neminem in terris præter Pontificem & Episcopos de fide judicare posse; partem Episcoporum maximam Pontifici unitam non posse errare. Hæc totidem sunt fidei puncta. Concedunt præterea Theologi passim omnes tacitam quandam esse Bullarum acceptationem, nudumque Episcoporum silentium pro consensu haberi, eo quod Episcoporum pars maxima sine crimine prævaricationis fide periclitante tacere non possit. Ex his irrefragabilibus principiis sequitur, Constitutionem dogmaticam ab Ecclesia tunc esse receptam, quando quindecim circiter Episcopi dumtaxat reclamant. Non est ergo cur tutos & extra teli jactum positos arbitrentur se refractarii per suam paucorum appellationem: per hanc faciunt potiùs publicam Schismatis & Hæreseos professionem.

Ecclesiæ praxis in causa Pelagianorum, rem quam asserimus evidenter confirmat. Octodecim Episcopi Pelagiani à sententia Pontificis ad futurum Concilium provocaverant: sed non obstante hac appellatione, Ecclesia universa eos velut professos Hæreticos averfabatur. Exauthorabantur ab Imperatoribus, à Concilio Ephesino anathemate percutiebantur, ne auditis quidem iteratis ipsorum tricis & cavillationibus. Enimvero lata S. Sedis in Pelagianos sententia, tacito particularium Ecclesiarum accedente consensu, vim apud omnes habuit, auctoritatemque Ecclesiæ universalis, etiam priusquam Episcopi subscripsissent. S. Aurelius Episcopus Carthagenensis cum ceteris Africæ Episcopis communicans mandatum ad se
missum

missum ab Honorio Imperatore, quo præcipiebat ut Episcopi omnes Pelagii & Cælestii damnationi subscriberent, dicebat, istorum Hæreticorum errores *ab universali Ecclesia* fuisse proscriptos, tametsi necdum subscripserent Episcopi, & octodecim reclamassent.

Apud Garner. 2. p. in Mercat. p. 252.

Ne quid mali, inquit ex supradictorum serpentina persuasione, ab universali Ecclesia totius orbis exclusa, fortassè subrepat. Eadem habet Possidius. Postquam enim dixerat, Innocentium & Zozimum Pontifices anathematizasse Pelagianos, & ab omnibus Catholicis anathematizari præcepisse, adjungit :

Possidius vita S. August. c. 18.

Et hoc tale de illis Ecclesie Dei Catholice prolatum iudicium, etiam piissimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos, inter hæreticos haberi debere constituit. Legumque istarum una fuit, ut damnationi Pelagianorum iudicioque Ecclesie subscriberent Episcopi omnes.

Carm. de ingr. c. 9.

Postquam Episcopi subscripserant, S. Prosper testatus est, sententiam in Pelagium latam subscriptam jam esse non solum ab Ecclesia, sed *mundi manu*. Idem de Constitutione *Unigenitus* dici potest, præsertim hodie, quando litteras habemus Metropolitanorum mundi fere totius, suo & Suffraganeorum suorum nomine testantium, Constitutionem esse infallibilem fidei regulam, legemque irrefragabilem. Hoc igitur, à quo appellatur, iudicium subscriptum est *mundi manu*.

Quàm luctuosus ac deplorabilis se oculis nostris offert hodiernus quarundam Gallie Ecclesiarum status ! quæ præbyterorum & ignorantium ac murmurantium monachorum coitiones & turbæ ! qui appellatione
impia

Tractatus de Schismate. III

impiâ ac temerariâ vexillum infame Schismatis erexerunt. Quid est, quod à rebellibus fidei & Religioni non sit timendum? Verum quidem est, in his quoque afflictis Ecclesiis populum maximâ parte servare fidei simplicitatem sub Pastoribus errori venundatis: adeò ut hic valeat, quod de Ecclesia Antiochena (cujus plebs erat Catholica Clerus Arianus) olim scripsit Theodoretus.

Leontius Antiochenus Episcopus tametsi sordibus erat Ariane blasphemia inquinatus, tamen eas callidè occultare studuit. . . . Qui doctrinam sequebantur Apostolicam, illis iste neque prospexit, neque ullum omnino honorem detulit Ecclesiasticum. At qui insano Arii cacati erant errore, ejus operâ maximam sunt auctoritatem consecuti, & ad Sacrosanctos Ecclesia ordines elati. . . . Ob quam causam Clerus complures habuit hæretica labe contaminatos: sed tamen maxima pars populi veram sanamque doctrinam tuebatur. Hæc tamen paulatim defecit.

Theodoret. l. 2. c. 24.

§. III.

An ab Ecclesiasticis aut Religiosis, à dogmatica Constitutione ab Ecclesiâ receptâ ad Concilium appellantis, accipi possint Sacramenta.

Nunc mandatam hoc ad vos ò Sacerdotes. *Dicit Dominus omnipotens: & mittam super vos maledictionem, & maledicam benedictioni vestre. Cælestes hæ minæ Sacerdotes appellantes feriunt. Quippe ostendimus, eos Schisma & Hæresim sua appellatione professos. Hinc jam quæritur an Sacramenta peti & accipi*

Malach. 2. 1. & 2.

accipi possint à Ministro Schismatico atque Hæretico? Evidens est id fieri non posse sine peccato gravi. 1. Appellantes, omnesque qui Constitutioni dogmaticæ, ab Ecclesia receptæ, ore & corde non acquiescunt, ipso facto excommunicationem incurrunt; ac propterea quoties administrant Sacramenta, novum committunt peccatum mortale, fiuntque irregulares. Nec peti ergo nec accipi ab ipsis Sacramenta possunt, nisi urgente extrema necessitate, cum non liceat eis peccandi graviter præbere occasionem, nec coöperari ipsorum peccato.

2. Communicare in spiritualibus cum Schismaticis & Hæreticis manifestis, est grave peccatum scandali: nam qui cum ipsis communicant, significant se eadem cum illis sentire ac rebellionis esse participes. Præterea perdendæ fidei periculo se exponunt, cum conscientiam suam lupis, non Pastoribus, fidant: quod novo rursus peccato non vacat.

Mandavit Dominus Moyfi, ut populum à Core, Datan & Abiron Sacerdotum Schismaticorum tentoriis separaret. Dixitque Num. 16. Moyses ad populum: *Recedite à tabernaculis* 7. 26. *hominum impiorum, & nolite tangere quæ ad eos pertinent, ne involvamini in peccatis eorum.* Hoc exemplum Viri quique sanctissimi in nova lege secuti sunt.

Bolland.
13. April.

S. Hermenigildus malebat & vitam amittere & coronam, quàm Sacram ab Ariano Episcopo Eucharistiam accipere. Hanc unam ab ipso gratiam petebat impius pater; filius id sacrilegum ratus, mori potius cervicemque securi offerre præoptavit: quem propterea

terea Martyrum heroicorum catalogo ad-
 scripsit Ecclesia. S. Satyrus, S. Ambrosii
 frater, miraculo evadens naufragium, & ad
 Insulæ litus ejectus, baptizari instanter pete-
 bat. Verùm intelligens istius loci Episcopum
 & Clerum à Sedis Apostolicæ communione
 separatos esse, & Luciferi Caralitani Schis-
 mati implicitos; maluit sine baptismo, quan-
 tumvis Sacramentorum omnium maximè ne-
 cessario, se maris iterum ac tempestatum pe-
 riculo exponere, quàm Sacramentum acci-
 pere Ministri Schismatici manu. Quod factum
 ita probavit Ambrosius, ut in oratione fune-
 bri, quâ dignissimi fratris memoriam poste-
 ritati commendavit, summis id laudibus ex-
 tulerit.

Ambros.
 de excessu
 fratris sui
 t. 2.

Illustriorem quoque in modum vir sancti-
 tate spectabilis Antiochus, cùm in Eulebii
 Samosatensis Episcopi vitâ functi locum ele-
 ctus esset, eòque, Sacros ei Ordines con-
 ferendi gratiâ, inter ceteros Antistites adve-
 nisset Jovinus Pergensis tunc Episcopus, qui
 Arianorum communioni aliquo tempore ad-
 hæserat; cumque Antiochum adductum ad Sa-
 cram mensam genua flectere cogerent; conversus
 ille, ut Jovinum vidit capiti suo dextram impo-
 neutem, manum repulit, & è consecrantium nu-
 mero segregari eum jussit, negans se dexteram ferre
 illam posse, quæ mysteria per blasphemiam conse-
 crata receperat.

Theodo-
 ret. l. 4.
 c. 13. ver-
 sus finem.
 edit. Cra-
 mosian.
 1642.

Idem qui hoc narrat Theodoretus, facti
 alterius, huic non absimilis, facit mentio-
 nem. Cùm Moyse quidam, qui habitabat in
 finibus Ægypti & Palestinæ, monasticam vi-
 tam professus, Alexandriam adductus esset
 ut illic Episcopus consecraretur, *Videretque*

Theodo-
 ret. l. 4.
 20.

H

Lucium

114 *Tractatus de Schismate.*

Lucium sibi manum velle imponere, Absit, inquit, ut manu tua consecrer: nam te invocante spiritus gratia non venit. Cui Lucius, Qua ductus, ait conjecturâ id dicis? Et ille, non conjecturam sequor, inquit, sed certò scio: Quia cum Apostolicis dogmatibus pugnas, & contraria doces. Manum igitur, ne contaminaretur, hæreticam repulit.

Matth. 18.
 v. 17.
 Joan. Ep.
 2. v. 11.
 1. Cor. 5.
 v. 11.

Plena est Ecclesiastica Historia factis ejusmodi illustribus atque exemplis: quæ splendorem suum accipiunt ab his Christi verbis, *Qui Ecclesiam non audierit; sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus.* Et certè si S. Joannes eis *Ave* dicere prohibeat, & Apostolus Paulus cum sceleratis ejusmodi *cibum sumere* vetet: nobisne licitum erit in Sacris & Divinis rebus communicare cum hominibus de Schismate convictis, aut saltem optimo jure suspectis, & mensæ Dominicæ cum iis accumbere, ut cibum animæ sumamus ipsorum manu?

Quanta est ergo cæcitas eorum, qui ab Ecclesiasticis & Monachis Schismaticis, aut saltem de Schismate & Hæresi jure suspectis, Sacramenta sibi administrari patiuntur, manifesto se periculo exponentes ne illic mortis æternæ damnationem inveniant, ubi est vitæ scarurigo. Luctuosa quidem ac deploranda Sacerdotum sors, sacrilegâ ad Concilium appellatione Schisma profitentium; sed magis luctuosa earum animarum, quæ ipsorum ministerio ac directione seducuntur. Confessiones earum totidem sacrilegia sunt. Quin & asserunt Doctores Theologi non pauci, directoribus hujusmodi deesse requisitam ad absolvendum jurisdictionem. Non sunt quidem hæc.

hactenus excommunicati speciatim, & expressis nominibus ab Ecclesia denuntiati: sed an non seipsos Schismaticos & Hæreticos abundè declararunt? Atqui Hæretici, inquit S. Opratus, *Non habent claves Ecclesie.* Et L. 1. n. 10. S. Thomas expressis terminis ait: *Licet Schismatici habere ordinis potestatem possint, jurisdictionis tamen auctoritate privantur.... Unde nec possunt absolvere.... quod si fecerint, nihil est actum.* 2. 2. q. 39. art. 3.

Merito de appellantiibus ad futurum Concilium dici posset, id quod de quibusdam Schismaticis Ecclesie suæ Presbyteris dicebat S. Cyprianus: *De Dei providentia pœnas quas meruerant rependerunt, ut à nobis non ejeti ultro se ejicerent.... Sed oro vos fratres, vigilate contra insidias diaboli.... Ne atas vos eorum, nec auctoritas fallat; qui ad duorum Presbyterorum veterem nequitiam respondentes, sicut illi Susannam pudicam corrumpere & violare conati sunt, sic & hi adulterinis doctrinis Ecclesie pudicitiam corrumpere & veritatem Evangelicam violare conantur.... Pacem nunc offerunt qui ipsi non habent pacem. In Ecclesiam lapsos reducere & revocare promittunt, qui de Ecclesia recesserunt. Deus unus est, & Christus unus, & una Ecclesia, & Cathedra una super Petrum Domini voce fundata... Soli cum Episcopis non sint, qui contra Episcopos rebellarunt.... Vitare lupos, qui oves à Pastore secernunt. Vitare linguam diaboli venenatam.* Cyprian. ad plebem de quinq. Presbyt. Schismat. Ep. 40.



CAPUT XI.

Quale & quantum crimen sit Schisma?

§. I.

De hujus criminis fœditate.

HActenus naturam Schismatis, & quæ ad illud formandum parturiendumque conferunt, declaravimus. Superest ut fœditatem criminis detegamus, quâ horror incutiat spectantibus. Monstri hujus spurcitiâ Lector agnosces ex ipsis quibus nascitur passionibus, effectibusque quos gignit; tum etiam ex præceptis quæ violat; ac denique ex iis quæ meretur, & quæ certò consequuntur, suppliciis.

1. Parentes Schismatis sunt passiones duæ, eæque præ ceteris Deo exosæ, Superbia & Ambitio. S. Optatus Superbiam Schismaticorum detestans, ait, de Publicano & Pharisæo orantibus in templo loquens: *Meliora inventa sunt peccata cum humilitate, quàm innocentia cum superbia.* Sanctus item Irenæus aliique Patres defectionem ab Ecclesia rebellionemque adscribunt superbienti vanitati Schismaticorum. Pro argumento sit multorum seculorum experientia. Errorem agnoscere homo factiosus quispiam erubescat: huic adherentes Episcopi quidam adversus Petri Cathedram erigant supercilium: hoc ad turbandam Ecclesiam satis: hoc satis est ut regna paulatim integra à Catholica unitate se

Lib. 2.
c. 20.

gem animarum, quas in æternam ruinam sacrilegæ pietatis larvâ præcipitavit?

4. Crimen Schismatis omnium severissimè Deus punivit. Israëlitarum idololatriam toleravit ad tempus, dissimulavitque ingratos post tot accepta beneficia animos, atque apertas adversùs Divinam providentiam murmurationes. At quando Schismatici Sacerdotes rebellant, populumque in Aarone summum Pontificem concitant, atque instigant; vindicta ne ad momentum quidem differtur. Terræ mandavit Deus ut capita & incentores rebellionis absorberet repentino hiatu: quæ præterea quindecim milia eorum, qui Schismatis duces fuerant secuti, igne eructato consumpsit. Nempe, hinc rectè colligit Augustinus, Schisma esse maximum peccatum. *Quis jam dubitaverit, inquit, hoc esse sceleratius commissum, quod est gravius vindicatum?*

De baptis-
mo contra
Donat. l. 2.
c. 6.

§. II.

*Quid SS. Patres de criminis hujus
fœditate senserint.*

N Usquam alibi atrociori stylo usi sunt SS. Patres, quàm cum fidelibus Schismatis crimen Ecclesiam dividens ob oculos proposuerunt. S. Irenæus de Deo loquens, *L. 4. c. 62. judicabit, inquit, & eos qui Schismata operantur, qui sunt immanes, non habentes Dei dilectionem; suamque utilitatem potius considerantes, quàm unitatem Ecclesie, propter modicas & quaslibet causas magnum & gloriosum Corpus Christi conscindunt & dividunt, & quantum in ipsis est interficiunt, pacem loquentes & bellum operantes,*
verè

verè liquantes culicem & camelum transglutientes. Nulla enim ab eis tanta potest fieri correptio, quanta est Schismatis perniciēs.

S. Cyprianus Schismaticos vehementi oratione exagitat. Dicit eos esse sceleratos & perfidos, & discordia furore vesanos, ut credant scindi posse, aut audeant scindere unitatem Dei, vestem Domini, Ecclesiam Christi.... Tales, inquit, etiam si occisi in confessione nominis fuerint, macula ista nec sanguine abluatur. Inexplicabilis & gravis culpa discordia, nec passione purgatur. Esse martyr non potest, qui in Ecclesia non est.... Ardant licet flammis & ignibus traditi, vel objecti bestiis animas suas ponant: non erit illa fidei corona, sed poena perfidia. Etiam si, inquit S. Pacianus, passus est aliquid Novatianus, non tamen etiam occisus: etiam si occisus, non tamen coronatus. Quidni? Extra Ecclesia pacem, extra concordiam, extra eam matrem cuius portio debet esse qui martyr est. Firmissimum tene, inquit S. Fulgentius, & nullatenus dubites, quemlibet Hæreticum sive Schismaticum, si Ecclesie Catholica non fuerit aggregatus, quanta scumque eleemosynas fecerit, etsi pro Christi nomine etiam sanguinem suderit, nullatenus posse salvari.

S. Optatus Schisma ingens flagitium, immo summum malum vocat. S. Augustinus Schismaticos comparat subditis seditiosis & in Principem rebellibus, qui facem belli intestini accendunt: & Sacramenta, quæ extra Ecclesiam servant, velut propria nostra vexilla contra nos dimicantes erigunt. Nec dubitanter asserit majus esse crimen Schismatis quàm idololatriæ. Nam de Donatistis ait: Itaque illos quos baptizant, sanant à vulnere idololatriæ vel infidelitatis; sed gravius feriunt vulnere Schismatis.

De Unitate Ecclesie.

Ad Symporian. Ep. 2.

De fide ad Petrum Diacon. c. 39.

Lib. 1.

De Baptismo conc. Donatist. His l. 1, c. 8.

Chrysoft.
in ep. ad
Ephes.
hom. 11.

His omnibus expensis concludit S. Chrysoftomus in hæc verba : *Nihil Deum æquè irritat, atque divisam esse Ecclesiam. Etiam si bona fecerimus innumerabilia, non minores, quàm qui ejus corpus discindunt, poenas dabimus. Tremenda iis sententia, qui non, quantum rei gravitas exigit, abhorrent à Schismate.*

§. III.

Quid censendum de præfensa Schismaticorum sanctitate.

PRæfensam hanc sanctitatem nihil aliud esse præter larvatam hypocrisim, abundè ex jam dictis colligitur. Hac laude sectæ suæ Principes factio præstigiatrix honorare consuevit. Rectè Augustinus: *Præsertim Catholicos proba, ac sanctos esse probare demque poteris.* At quo minus dubites quàm vetus & obsoleta sit hæc fanatica, quàm Magistros palpant, adulatio discipulorum errantium, in memoriam dumtaxat revocare oportet impietatem Arii & Priscilliani infamiam, qui inter sanctos nihilominus à Sectatoribus numerati fuerunt. Quin & furiosum illum Dioscorum discipuli etiam hodie altarium honore dignantur: atque circumcellionum olim fanatici antesignani, postquam vexata crudeliter plebe, furtis latrociniisque se contaminaverant, appellari voluerunt *Duces Sanctorum*. In Bohemia Joannis Hus & Hieronymi Pragensis memoria, velut Sectæ martyrum erectis aris celebrabatur: atque olim in Gallia Calvini primorumque Reformatorum sanctitas ubique resonabat. *Vita nostra*, dicebat solitâ Novatoribus modestiâ Calvinus, *castitatis, benignitatis,*

Optat. 1.3.
n. 4.

Libello ad
Francil-

tis, misericordia, continentia, patientia, modestia, & cujusvis virtutis exemplum esse potest. Protestantes titulum Beati Luthero tribuunt, eumque Minister Drelincourtius tertium Eliam vocat. Cranmerum Archiepiscopum Athanasio & Cyrillo comparant Anglicani. Noti sunt Jansenistarum & Quesnellistarum Sancti. Quis credat, auctores Schismatum atque Hæreseon eâ sanctitate, iisque virtutibus fuisse ornatos, quas tantopere buccinant ipsorum sequaces?

Esto tamen vera forent laudum præconia, quibus ornantur; num minùs propterea criminosi populorum seductores essent reputandi? Evidenter, inquit S. Augustinus, nihil prodest istis servare virginitatem, habere continentiam, eleëmofynas dare; omnia illa quæ laudantur in Ecclesia, nihil illis profunt; quia conscindunt unitatem, id est, tunicam illam caritatis. Novatiani Schismatis participes erant Confessores quidam: nec tamen de carcerum tenebris ob Christi nomen toleratis egressi, in lucem Ecclesiæ, à qua mentis cæcitate & caligine Schismatis aberraverant, reverterunt, ut observat S. Cyprianus. Pelagius Monachus vitam ducebat austeram admodum, & quæ in exemplum exposita erat probitatis. S. Chrysofostomus ex ipso exilii sui loco, brevi ante mortem tempore scribebat: De Pelagio monacho magno dolore affectus sum. Cogita igitur quot quantisque coronis digni sint, qui forti animo in acie steterunt, cum viros qui tam piè ac sanctè, tantaque cum tolerantia vixerunt, abripi, atque in fraudem impelli videamus. Augustinus quoque de Pelagio loquens, testatur quod sit casta vitâ, moribusque laudabilis. Vir, inquit, ut audio, 16.

cum Regem præfixo institutioni.

Tractatu
13. in
Joan. n. 15

Cyprian.
epist. 51.

Chrysof.
ep. 4. ad
Olympia-
dem p. 75
edit. Paris.

L. 2. de
peccat.
mer. &
remiss. c.

Ibid. l. 3. audio, Sanctus. Atque adjungit, eſſe ipſum,
 c. 1 & c. 3. ſicut eum qui noverunt loquuntur, bonum ac pra-
 Gennad. dicandum virum. Julianus Eclanenſis omnibus
 Catal. Vir. magni ac Sancti Epilcopi dotibus erat ſpe-
 illuſt. c. 3. ctabilis, exceptâ virtute omnium maximâ,
 debitâ ſcilicet Eccleſiæ & Sedi Apoſtolicæ
 Bernard. obedientiâ. S. Bernardus de Arnaldo de Bri-
 ep. 195. xia loquens, *Utinam, inquit, tam ſana eſſet
 doctrina, quàm diſtricta eſt vita. Homo eſt neque
 manducans neque bibens, ſolo cum diabolo eſuriens
 & ſitiens ſanguinem animarum.... ſeminator diſ-
 cordiæ, fabricator Schiſmatum, turbator pacis,
 unitatis diſviſor. Omnes hi Novatores, decep-
 tores erant tanto periculoſiores, quanto ſan-
 ctiores eſſe videbantur.*

Quamvis itaque auctores Schiſmatis tan-
 tam re ipſa mererentur laudem virtutis, quan-
 tâ à factione fanaticâ decorantur, non minùs
 propterea cauſâ caderent ante tribunal Dei:
 quos in ira ſua increpabit verbiſ Prophetæ di-
 centis: *Quid niteris bonam oſtendere viam
 tuam ad querendam dilectionem, quæ in ſuper &
 malitias docuiſti vias tuas, & in aliis tuis inventus
 eſt ſanguis animarum pauperum & innocentum?
 Et dixiſti: Abſque peccato & innocens ego ſum...
 Ecce ego iudicio contendam tecum. O terribile
 iudicium Schiſmatis auctori imminens!*

CAPUT XII.

De malis ex Schismate pullulantibus.

§. I.

Religionem Schisma penitus destruit.

UNITAS Catholica vinculum est, quo non solum Ecclesiae membra inter se fidei unitate copulantur, sed fidei quoque ipsius servatur integritas, indissolubili dogmatum coherentium nexu. Rupta hac corporis compage, & membrorum corruptio, & dogmatum sequitur interitus: ita quidem, ut paucorum annorum intervallo, si Ecclesiam Schismaticam consideres, antiquae Religionis vestigia vix ulla invenias. Funestum Anglia praebet exemplum. Rupturam Schismatis imminente, nullum erat toto orbe Christiano regnum Romano-Catholicae fidei tenacius. Henricus VIII. Religionem non tantum Regali auctoritate suffulcit, sed scriptis Lutherum impugnavit, librumque suum Leoni X. velut fidei & amicitiae tesseram misit, scripto manu propria hoc in fronte operis verso latino.

Anglorum Rex Henricus, Leo decimo, mittit

Hoc opus, & fidei testem, & amicitiae.

At postquam Rex idem, adulterini conjugii libidine infami correptus, facto à Sede Apostolica divortio, Primatum Ecclesiae, quem ceu Petri Successoribus proprium gloriose defenderat, sibi arrogare coepit; Anglia, dicta haecenus *Insula Sanctorum*, errorum

rum

rum derepente Insula facta est, & omnium cloaca vitiorum; ac veluti altera erratica Delos pestiferis peregrinarum opinionum flatibus jactata fuit. Verum est quidem à Lutheri doctrina semper abhorruisse Henricum, cavissèque ne regnum suum contagio ista afflaret: sed Schismatica Ecclesia quid est aliud quàm ovile furibus ac latronibus patens, grex mercenariis creditus, & lupis grassatoribus expositus? Et verò fidei integritas quàm ratione conjungi posset cum Schismate? Quid Schismaticis cum fidei regula? Quibus armis debellabunt errorem?

Optat. 12.
num. 16. Julianus Apostata nulla re certius credidit se posse evertere Christianam Religionem, quàm patrocínio Schismatis. Quamprimum Imperium adeptus erat, Donatistarum patronum se professus est, Schismaticis illis mox de exilio, quo eos Imperator Constantinus expulerat, revocatis: nec minorem Religioni intulit stragem, dum suas Donatistis Ecclesias restituit, quàm cum idolorum templa patefecit.

Commo-
nit. cap. 31. Dogmata fidei catenæ annulis non inconcinnè comparantur, quorum unum si moveas, reliqui consequuntur. Suntque velut ejusdem ædificiî lapides, qui continua serie super vicinos cubant, quorum medio evulso superiores ruere necesse est. *Abdicatâ enim qualibet parte Catholici dogmatis, ait Vincentius Lirinensis, alia quoque, atque item alia, ac deinceps alia jam quasi ex more & licito abdicantur. Porro partibus abdicatis, quid aliud sequetur, nisi ut totum pariter repudietur?* Atqui S. Sedis Primatus inter primaria fidei dogmata locum tenet. Nec asseverare formido, non

non secus super hoc dogma fidem, quam super S. Petrum ædificatam esse Ecclesiam. Quo fundamento diruto ædificium corrui-
t: nec vulnus tantummodo Ecclesiæ per Schisma infligitur, sed ipsa Religioni vita aufer-
tur.

§. II.

*Clericalis dignitas per Schisma vili
serviuti subjicitur.*

EX ambitiosa excellendi cupidine Clerico-
rum, fastidioque parendi, Schisma com-
muniter generatur. Sed manifestâ Dei vindi-
ctâ Clerus ipse per Schisma non eam, quam
appetivit, consequitur dignitatem, sed vi-
lissimæ potiùs subjicitur serviuti. Non enim
sperare possunt Episcopi auctoritatem suam
inferioribus venerabilem fore, nisi ipsi Pon-
tificis, qui eorum superior & Christi Vica-
rius est, auctoritatem venerentur. Schisma-
tici Sacerdotes Prælati S. Sedi rebellibus citò
se æquiparant. Hac poenâ talionis punitur à
Deo superbia Prælatorum. Quo recidit O-
rientalium Ecclesiarum splendor & gloria,
postquam eas à Sedis Apostolicæ obedientia
& communione divortium infelix separavit?
Quamdiu Romano Pontifici fuerunt subje-
ctæ, quot probatissimis Patribus ac Docto-
ribus, quot sanctissimis Eremitis incolis floue-
runt! Quæ magnificentia Jerusalem! Quæ
pietas peregrinantium! Quæ Episcoporum
dignitas! Quanta amplitudo Imperii Con-
stantinopolitani! Neque illic Religio virebat
solum, sed instar fertilissimæ arboris virtu-
tum fructibus abundabat, donec de radice
vixit

vixit Romanæ Ecclesiæ. At postquam rescissa est, ut ramus amputatus exaruit. Captiva in hunc diem toto Oriente Religio templa deserta ac desolata, egenamque & servilem ministrorum sortem deplorat. Noluerunt submittere se Vicario Christi, & colla submitterunt jugo infidelis & Barbaræ Nationis.

Ecquis splendor est hodie, ecquæ dignitas Ecclesiæ Anglicanæ? Episcopatus Romanæ jurisdictioni subtractus, est velut merum sine vita & motu cadaver, nihil præter nomen inane reliquum habens. Regni istius Prælati recusarunt agnoscere spiritualement S. Sedis auctoritatem, à qua tamen primi fuerunt missi Apostoli; & spiritualement suam (prò pudor!) potestatem subjecerunt politico Regis imperio, & duabus Curiis Laicorum. En à quo tribunali decisiones fidei expectent Episcopi, ad dedecus & infamiam Religionis.

Ep. 40.

Non minùs superbè & intolerenter, quàm Laici, Episcopatum despicit ex infimo ordine Clerus Schismaticus. S. Cyprianus graviter querebatur, ab audacibus & refractariis Presbyteris vili pendì Episcopalem Dignitatem. Quàm paria his, atque etiam deteriora nostris fieri temporibus conspicimus, postquam Gallia Schismatis fermento agitari cepit. Quid non ausæ & machinatæ sunt Universitates? Quantus Episcoporum contemptus, immò quantæ vexationes, ob audacem & impunitam tot Curionum & Monachorum rebellionem: qui impudenter & verè de se dicere possent, quod sibi & suis in eremo sociis per calumniam objectum narrat Hieronymus. *Pudet, inquit, dicere: De cavernis cellularum damnamus orbem. In sacco & cinere volu-*

Ad Marc.
Presb. ep.

rionymus. Pudet, inquit, dicere: De cavernis cellularum damnamus orbem. In sacco & cinere volu-

volutati, de Episcopis sententiam ferimus. Quid facit sub tunica pœnitentis regius animus? Quàm contemptim proteruntur hodie Viri insignes Ecclesiastici & Religiosi! Nec mirum: sola Clerum venerabilem facit Religio; Schisma verò Religionis ruina est.

Neque satis est Clerum Schismaticum jacturam facere nominis & dignitatis, nisi etiam bonorum temporalium direptione ad miseram redigantur paulatim egestatem. Quid Clero cum divitiis? clamant laicæ potestates; & Ecclesiæ reformandæ prætextu indè præclaræ reformationis ducunt exordium, undè crumenarum suarum sperant incrementum. Hinc in Germania, Suecia, Scotia, Anglia, sumptum est reformationis initium. Scilicet Ecclesiarum & Monasteriorum amplis proventibus & redditibus inhiando, in Schisma faciliùs prolapsi sunt Principes: neque major est obex quo minùs ad unitatem Ecclesiæ revertantur, quàm prædarum istarum faciendæ restitutio.

§. III.

Schisma Regnorum turbas & ruinam causat.

Non *Respublica est in Ecclesia, sed Ecclesia in Republica est*, inquit verè & acutè S. Optatus: significans, sicut anima, quæ est pars hominis præstantior, in corpore est, illudque animat, sic Ecclesiam in Republica velut ejus animam esse. Itaque cum tranquilla est Ecclesia, Reipublicæ tranquillitatem præstat; cum perturbata, Rempublicam quoque turbari necesse est. *Populus Deo infidelis, quomodo*

Lib. 3. n. 3.

modo Principi fidelis erit ? Quare Petrus Apoſtolus priuſquam dicat , *Regem honorate* , præmittit immediatè , *Deum timete* : quaſi debitus Regi honor ſine Dei timore conſtare non poſſit. Narrat Regum hiſtoria Summum Sacerdotem Joiadam , ut folium Joæ Regis junioris ſtabiliret , voluiſſe ut populus inito foedere priuſ ſe obligaret Deo , quàm fidelitatis Sacramentum diceret Regi : non ignorans , fidem juratam Deo , populum Regi , & Regem populo , nexu arctiſſimo devincire. Nexum hunc diſſipat Schiſma. Nihil enim Schiſmaticos facit niſi effrænis libertatis cupiditas , & cervix capiſtri impatiens. Aurea eſt hæc S. Optati Epilcopi Milevitani ſententia : *Factio mater Schiſmatis*. Ecquis ſibi perſuadeat , hominem qui jugum ſpirituale , quod omnium ſacratiffimum & leviſſimum eſt , ſubire derectat , non excuſſurum denique frænum poteſtatis ſecularis ? Næ is malè perſpectum haberet genium Novatorum.

Optat. l. 2.
n. 3.

Tom. 2.
Concil.
Gall. p. 231
Inter Ca-
pit. Sele-
& a cap. 2.

Vinc. Li-
rin. Com-
mon. c. 6.

Noverat hunc apprimè Carolus Magnus , cùm dixit , *Nulla pacto agnoſcere poſſumus , qualiter nobis fideles exiſtere poſſunt , qui Deo infideles & ſuis Sacerdotibus inobedientes apparuerint : aut qualiter nobis obedientes , noſtriſque Miniſtris ac Legatis obtemperantes erunt , qui illis in Dei cauſis , & Eccleſiarum utilitatibus non obtemperant.*

Noverat & Vincentius Lirinensis , qui vivis coloribus genium Novatorum Hæreticorumque depinxit. Etenim de Arianifino loquens , *Cujus , inquit , temporis periculo ſatis ſuperque monſtratum eſt , quantum invehatur calamitatis novelli dogmatis inductione. Tunc ſiquidem non ſolum parvæ res , ſed etiam maxima læſa factata ſunt. Nec enim tantum adſinitates , amicitia ,*

citia, domus, verum etiam urbes, populi, Provincia, nationes, univcrsum postremo Romanum Imperium funditus concussum & emoliturum est. Namque cum profana ipsa Arianorum novitas, velut quedam Bellona, aut Furia, capto primo omnium Imperatore, cuncta deinde palatii culmina legibus novis subjugasset, nequaquam deinceps destitit universa miscere atque vexare, privata ac publica, Sacra profanaque omnia, nullum boni & veri gerere discrimen, sed quoscumque collibuisse, tanquam de loco superiore percutere.

Minus quoque audaces & furiosos Hæresis fecit Arianos quam Schisma Donatistas. In Parmenianum Donatistam gravi oratione invehitur S. Optatus. Ostendam, inquit, partem Lib. 2. vestram cruentis moribus pastam, Christianorum sanguine opimatam . . . Episcopis vestris jubentibus & presentibus, super altare Catholici Diaconi occisi sunt . . . lacerati sunt Viri, tractata sunt Matrona, infantes necati, abacti sunt partus . . . ut omnia Sacrosancta vestri Episcopi violarent, jusserunt Eucharistiam canibus fundi . . . Ampullam quoque Chrismatis per fenestram, ut frangerent, jactaverunt. Fœlix (Episcopus Donatista) inter crimina sua & facinora nefanda, ab eo compressam puellam cui mitram ipse imposuerat, à qua paulò antè pater vocabatur, nefariè incestare minime dubitavit. Hæ sacrilegæ furia, quibus Schismatici Donatistæ diu Africam vexaverunt, eam tandem in Vandalorum Arianorum redegerunt servitutem; quemadmodum Ecclesiam orientalem infidelium jugo Schisma subjecit. Et quas tragicas scenas Anglia, illud Schismatis & erroris theatrum exhibuit! Quantâ sanguinis effusione Henricus VIII. Schisma suum stabilire coactus est! Primum credi-

Thomas-
sin. Tract.
de Edict.
Eccl. 1. 2.
P. 473.

credidit fidei Catholicae duntaxat se esse deser-
torem: at mox persecutor est factus, & tyran-
nus. Inter eos, quos iussit occidi, cum aliter suum
in Anglicana Ecclesia Primatum stabilire non pos-
set, numerantur Cardinales duo; Archiepiscopi
tres; triginta Episcopi; Abbates tredecim; quin-
genti Priores, Monachi aut Presbyteri; Decani
tredecim; Canonici sexaginta; quinquaginta &
amplius Sacra Theologia Doctores; Duces, Mar-
chiones aut Comites duodecim; viginti-novem Ba-
rones; Nobiles amplius trecenti; Cives centum;
centum & decem Matrona: ut de reliquis sileam.
En Schismatis fructus. Potestne his phaleris
ornata Novitas placere Catholicis Gallis?

Nunquam Schisma Religionem sine Reipu-
blica tumultu divisit. Hollandia nodum, quo
Pontifici necebat & Regi, uno acinacis
ictu diffecit. Suecia simul cum novo Rege
fidei novitatem induxit. Post Schisma saepe
nutavit Angliae corona, saepe etiam de Re-
gum verticibus excussa. Galliae Reges cum
Petri Cathedra haecenus junctissimi, solii
sui firmitatem ab hac solidissima Petra mu-
tuarunt.

Damian. 1.
7. Epist. 3.
ad Hen-
ric. Im-
perat.

Petri Damiani ad Henricum Imperatorem
vox est: Cavendum est, o Rex, ne dum tu pate-
ris dividi Sacerdotium, tuum quoque, quod absit,
dividatur Imperium. Nam... mox ut Saül ap-
prehendit summitatem pallii Samuelis, & scidit;
protinus illi Samuel, SIC, inquit, SCIDIT DO-
MINUS REGNUM ISRAEL A TE HODIE.

Supple-
mentum
pistola.

Sectae novissimae spiritum rebellionis, ve-
lut sibi proprium vindicare videntur. Luthe-
rus, tantarum ipse fax & incensor turbarum,
ad amicum quemdam suum scribebat: Pro-
pheta sui, cum saepe predixi, spiritum Sacramen-
tariorum

tariorum esse spiritum rebellionis. Quam cruenta olim in regno suo bella fuscitaverit scissa Religio, Galli meminerunt. Calvinismus, fa-
 teor, rebellionis fons fuit. At Jansenismus ex Calvini ovo prognatus est; nec spondet, si praevaluerit, meliora. Hydrae illius Herculeae abscisso capite uno, alterum, demissis quidem paulò magis auriculis, at eodem veneno turgens enatum est. Minusne ab hoc timendum est publicae tranquillitati? In Regum palatia citò volvitur flamma templorum, & segniùs extinguitur quàm apparet. Dominum cum populo Israèl, cujus partem Core ad seditionem incenderat, suppliciter deprecemur: *Fortissime Deus spirituum universe carnis, num uno peccante, contra omnes ira tua deserviet?*

rum Lu-
 theri
 Epist. 100.

Num. 16.
 v. 22.

CAPUT XIII.

Qua cautione opus sit Schismate imminente.

§. I.

Quid agere & pati debeant Episcopi ad avertendum Schisma.

SI quis dubitet, quodnam sit Religione periclitante Episcoporum officium, is consideret quod sit officium belli Ducis, quando in regni viscera irrumpunt hostes: quod naucleri, dum navis tempestate jactatur: quod Pastoris, dum in ovili grassatur lupus. Nemo dubitat quin Episcopi Duces sint



ſint populi Dei , Paſtores gregis Chriſti ,
 naviculæ S. Petri Gubernatores , ſalvo in
 omnibus Romani Epifcopi Primatu. Quot ti-
 tuli dignitatis , tot ſunt argumenta , & ſi qui
 fortè ſtimulo indigent , incitamenta ad in-
 duendos viriles animos , roburque intrepidi-
 dum , & contemptricem mortis conſtantiam ,
 quâ S. Ambroſius Imperatori conniventiam
 ſuadenti in cauſa fidei , reſpondit , *Si à me
 peteret , quod meum eſſet , id eſt fundum meum ,
 argentum meum , quidvis huiusmodi meum , me
 non refragaturum ; quamquam omnia quæ mei
 ſunt , eſſent pauperum : Verùm ea quæ ſunt divi-
 na , Imperatoria poteſtati non eſſe ſubjecta . Si pa-
 trimonium petitur , invadite : ſi corpus , occur-
 ram : Vultis in vincula rapere ? Vultis in mortem ?
 voluptati eſt mihi . Non ego vallabor circumſuſione
 populorum , nec altaria tenebo vitam obſecrans ;
 ſed pro altaribus gratiùs immolabor . Exemplum
 & documentum illuſtre à viro tanto Epifcopi
 datum , ne vocem quam expectat Reli-
 gio , timor humanus præpediat . Quid cen-
 ſendum de belli duce , qui certamen declinat
 ne amittat ſtipendia , quæ non niſi ad pug-
 nandum dantur ? Si qui forent animo tam
 puſillo Epifcopi , profecto perditâ Religione ,
 conſequenter ea quæ ſilentio conſervare ni-
 tuntur , emolumenta amitterent . Ad hunc
 panicum excutiendum terrorem , id unum
 ſufficiat meminiffe , non ſe ſui , ſed gregis
 conſervandi gratiâ conſecratos fuiſſe , neque
 ut ſeipſos paſcant , ſed oves . *Nobis Chriſtiani ,
 vobis Epifcopi ſumus* , dicebat ad populum Au-
 guſtinus .*

Ambroſ.
 Epift 20.
 tom. 2. p.
 854. nov.
 edit.

Serm 46.
 c. 1. nov.
 edit.

Quid agendum itaque ? Epifcopatus nec
 plebi venerabilis , nec formidabilis poteſt eſſe
 erro-

errori, nisi servato cum Apostolica Sede vinculo unitatis. Quapropter necesse est ut hunc nexum stringat arctius ipsum Schismaticis periculum, plebique libera voce Prælati inculcent, neminem Catholicum esse posse nisi qui Vicario Christi obtemperat. O quam potens est Episcopi vox, dum id Principi Christiano dicit, quod Imperatori scribebat Ambrosius: *Causa Religionis est, Episcopus convenio. Certè si aliud statuitur, Episcopi hoc a quo animo pati & dissimulare non possumus. Licet tibi ad Ecclesiam convenire: sed illic non invenies Sacerdotem, aut invenies resistentem.* Neque hos animos inspirare debet extremum duntaxat Religionis periculum. Dum periclitari incipit, non conservator, sed fidei proditor est qui tacet. *Veritas, inquit Innocentius, quæ non defensatur, opprimitur.*

Ep. 17. ad
Valent. t 2
p 827. nov.
edit.

Innoc. I.

Sueciæ & Angliæ Episcopi dissimulabant tantisper, hærebantque ad primos impetus potestatis secularis, jura & auctoritatem Ecclesiasticam invadentis. Suadebat id primum timor displicendi Principibus, & amor fortunarum. Primas has scintillas, quas facile fuisset extinguere, non negligebant solum, verum etiam extenuabant. At postquam in apertum eruperunt incendium, tum demum in quorundam pectoribus fidei amor revixit, cum sero remedio malum esset valentius. Prior quippe conniventia viliores reddiderat Episcoporum auctoritatem, & quibusdam in partes suas plectis, ceteros Principes negligebant.

Sanè conniventia illa, quæ ad primum Schismatis aspectum ora obstrueret Prælatorum, non potest esse nisi prudentia carnis,

nis, quam Deus execratur. Si hanc mundi politicam secuti fuissent Episcopi primi, nec inter pericula persecutionum ausi fuissent extollere vocem veritatis: si Judaicis & Romanis Magistratibus, Christum annuntiare vetantibus obtemperassent Apostoli, nonne jaceremus in tenebris infidelitatis?

Sed quid potest, inquires, præstare Episcopus tot rebellibus circumseptus? Clamare potest, errorem detegere, lupos monstrare, aperire veritatem, plebem instruere, quam decipere solet sola ignorantia veritatis.

Isai. 5.
X. 13.

Propterea, inquit Dominus, captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Potest, debetque Episcopus eos solos ad Sa-

Joel. 2.
V. 17.

cros Ordines & ministeria Ecclesiæ admittere, quorum exploratam habet fidem & doctrinam sanam; ne alioquin infensa Ecclesiæ acies augeatur. Potest gemitibus publicisque orationibus Dominum obsecrare, ad quod Episcopus Propheta hortatur: *Inter vestibulum & altare plorabunt Sacerdotes Ministri Domini: & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hereditatem tuam in opprobrium*

Ibid. c. 1.
X. 23.

ut dominantur eis nationes. Ac rursus: *accingite vos, & plangite Sacerdotes, ulutate ministri altaris: ingredimini, cubate in sacco Ministri Dei mei, quoniam interiit de domo Dei vestri sacrificium, & libatio.* Periculum religionis docebit populum fletus Prælatorum: ad quem etiam respiciet misericors Deus. Potest Episcopus Spiritu Dei armatus, pro grege suo stando & dimicando occumbere: *Bonus Pastor animam dat pro ovibus.* Actum est, inquit

Cyprian.
ep. 55. ad
Cornel.

S. Cyprianus, de Episcopatus vigore, & de Ecclesiæ gubernanda sublimi ac divina potestate, si

si ad hoc ventum est, ut perditorum minas atque insidias (Episcopi) pertimescamus. . . . Nec interest unde Episcopo aut terror aut periculum veniat, qui terroribus & periculis vivit obnoxius, & tamen fit de ipsis terroribus ac periculis gloriosus. . . . Sed non idcirco relinquenda est Ecclesiastica disciplina, aut Sacerdotalis solvenda censura, quoniam convitiis infestamur, aut terroribus quatimur.

§. II.

Quid urgente periculo Schismatis agendum Magistratibus.

Magistratus gladium justitiæ gerunt, & Dei auctoritate & Principis. Hoc igitur uti debent non minus ad Religionis quam ad regni tuendam integritatem. Immo hoc ipso regno consulunt, quo fidem defendunt. Publici regiminis ipsis commissi pars est, pax & tranquillitas Ecclesiarum. Quin & si Politicæ solius ratio habeatur, quicumque Reipublicæ paci invigilant, invigilare debent paci Religionis; cum ex hac illa dependeat. Dicat igitur Magistratus Episcopis quod iis olim Princeps religiosissimus dixit: *Ego Constantini, vos Petri, gladium habetis in manibus. Fungamus dexteras: gladium gladio copulemus.* Sed dum suam Magistratus Religioni commodant auctoritatem, cavendum quam maximè est ne de rebus fidei iudicium sibi arrogent; profundior enim infligerent Ecclesiæ plagam, quam sit ea, quam curare laborant. Basilius Imperator in Concilio Generali VIII. de Schismate Photii penitus extinguendo sollicitus, atque ejusmodi divisiones

Edgar.
Rex orat.
ad Clerum t. 9.
Concil.
Labb. p.
697.

Inter acta
Octavi
Concil.
sub finem.

siones cupiens cavere in posterum, monita dabat Laicis iudicibus apprimè salutifera, dignaque quæ cordibus insculpantur secularium Potestatum. De vobis, inquit, laicis, tam qui in dignitatibus, quam qui absolute conversamini, quid amplius dicam non habeo, quam quia nullo modo vobis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere, neque penitus resistere integritati Ecclesie, & universali Synodo adversari. Hoc enim investigare & querere Patriarcharum, Pontificum & Sacerdotum est, qui regiminis officium sortiti sunt, qui ligandi & solvendi potestatem habent: non nostrum, qui ligari vel à ligamento solvi egemus. Quântacumque enim religionis & sapientie laicus existat, ovis vocari non desinet. Quæ ergo nobis ratio est in ordine ovium constitutis Pastores verborum subtilitate discutiendi, & ea quæ super nos sunt quærendi & ambiendi? Nunc autem videmus adeo multos malitiâ in insaniam accendi, ut obliviscentes proprii ordinis, & quòd pedes sint minimè cogitantes, legem ponere velle oculis. . . . Sed moneo & exhortor omnes qui tales sunt, ut maledictum avertentes, & judicare iudices desinentes, attendant sibi.

Guimier.
in Præfat.
Pragmat.
Sanctio-
nis.

Imperatores & Reges Christiani latâ lege interdixerunt laicis iudicibus ne de Ecclesiæ causis cognoscerent. Utinam leges hæ servatæ semper fuissent! Guimierus supremæ Parisiensis Curie Præfectus graviter de harum violatione conqueritur. Postquam in suo super Pragmatica Sanctione Commentario dixerat, excommunicatos esse qui directe aut oblique Jurisdictioni Ecclesiasticæ impedimentum ponunt, subjungit: *Cum autem Rex Francia sit pugil Ecclesie, & inter omnes Chri-*

Chri-

Christianos Christianissimus, debet custodire jurisdictiones & libertates Ecclesiasticas: sed officarii ejus in multis hodie turbant Ecclesiam in predictis; ita quod, nisi Deus provideat, tandem jurisdictio & libertates Ecclesie evanescent.

Quod est ergo Magistratûs officium dum populus errore seducitur? Eam nimirum gerere debet curam, quam tempore contagionis ne pestis incrementum capiat, præstare solet. Non ad ipsum pertinet de mali origine, qualitate, progressu, medicina judicium ferre; quæ medicorum industria est; sed cavere duntaxat ne contagio propagetur, sanosque corripiat. Non solum qui hac lue laborant, sed ii quoque qui cum laborantibus commercium habent, arcentur à societate valentium. Suspicio in minutissima quæque, etiam in Epistolas cadit. Similem in modum Magistratum est curare, ne contagio multo periculosior, Schisma inquam & Hæresis propagetur. Sinant Episcopos de mali natura & remedio judicare: executioni mandari curent præscripta Prælatorum, qui soli sunt medici animarum: invigilent in libellos contagiosos, qui furtim per rimas januarum irrepentes, legentibus venenum instillant: purgent præcipuè pestiferæ doctrinæ publicos fontes.

Hoc unum est, hoc verum, hoc legitimum Magistratûs officium. Hâc adhibitâ curâ & diligentia suprema Parisiensis Curia civitatem hanc ingentem, totumque ferè Gallia regnum à Calvinii contagione intactum conservavit. Tribunal hoc augustum Lutheri & Calvinii sectatores, prius etiam quàm Tridenti Concilium celebraretur, eas subire poenas voluit, quas in hæreticos leges severissimæ

riffimæ decreverunt. Libros eorum simul cum his, à quibus spargebantur in vulgus, flammis addixit: nec Regum se Edictis, nisi quando errori favere videbantur, opposuit. Nondum memoriae excidit factum memorabile Procuratoris in Parisiensi Curia * Generalis, qui ne Edictum quoddam hujusmodi in publicas tabulas curaret referri, munere se suo ultrò abdicavit. Exemplum illustre Magistratibus, quibus suprema hæc Curia hodie constat! Eorum quilibet Apostolicæ Sedi adhærens, & communes Episcoporum decisiones propugnans, merito Clementi XI. ipsique conjunctis Episcopis dicere idem posset, quod olim Senator quidam Romanus & Reipublicæ administer dixit Pontifici: *Sum quidem Judex Palatinus, sed vester non desinam esse discipulus. Nam tunc ista rectè gerimus, si à vestris regulis minimè discedamus.*

*D. Bourdin.

Cassiodorus l. 11. ep. 2. ad Joan. Pam.

A& 4. v. 19.

Quàm esset Magistratibus gloriosum, eum in modum & sentire & loqui! Quam laudabile, vestigia insistere Patrum suorum, factisque ostendere, Justitiam non esse rivalem Religionis, sed sororem! Alioqui sanè Apostolorum Successores compellent, ut hoc ipsis respondeant, quod Judæorum Magistratibus Apostoli responderunt: *Si justum est in conspectu Dei, vos potius audire quàm Deum, judicate.*

§. III.

Quid, dum periculum imminet Schismatis, Ecclesiasticis & Religiosis agendum.

MAledicti canes muti non valentes latrare! Ifai. 56. v. 10.
 inquit Ifaias. Ecclesiastici & Religiosi prompti & ad manum esse debent primis Pastoribus, ceu sagaces & fideles canes qui pastoris ductu invigilant gregi. Ipsorum est ad lupi conspectum latrare, insidias deprehendere, Pastori lupum abigenti suppetias ferre, oves aberrantes & ad pascua nociva deflectentes, ad ipsius nutum reducere: ac eo præsertim tempore, quo per erroris anfractus à grassatoribus seducuntur, dentes oportet eos habere, & animos. Hanc ob rem beneficiorum proventibus vivunt, ut Ecclesiam defendant: nec ob aliud plebis largitionibus sustentantur nisi ut ei profint exemplo & doctrina.

Curionibus præsertim hoc onus incumbit. Judicium Cleri Gal. de libro anonymo Curionum Paris.
In Ecclesia, inquit Clerus Gallicanus, statuti sunt inferiores rectores Ecclesiarum, Pastores ordinarii & proprii Sacerdotes suarum parœciarum, ut eas regant, administrent Sacramenta, prædicent Verbum Dei, auctoritate & institutione Episcoporum. Hoc ipso mercenarii & Schismatici essent, quo se Episcopi sui, & Pontificis obedientiæ subtraherent, neque plebem sibi commissam ad eandem obedientiam unitatemque servandam verbo & exemplo hortarentur. Nova monum. Cleri t. I. p. 684.

Ortis de Religione dissensionibus, cavere sum-

summopere debet secundi ordinis Clerus, ne tanquam Judex de rebus fidei contumaciùs se erigat. Prurigo enimvero delicata, cui Presbyteri Galli non semel succubuerunt, ut ex Epistola S. Cælestini ad quosdam Galliarum Episcopos abundè colligitur. Novatores à legitimis iudicibus proscripti, ad alios è Clero inferiori iudices confugiunt, à quibus, utpote omnem à se auctoritatem habentibus, non metuunt condemnari. Sed periti & Catholici Sacerdotes jus sibi non arrogant iudicandi de doctrina à Pontifice & Episcopis definità. Iis qui ad hoc eos facinus impellere conantur, respondere oporteret, quod Episcopo cuidam Pelagianorum fautori respondit Presbyter Orosius :

Cælest. ep.
ad Ep.
Gall. c. 1.

Paulus
Oros. lib.
Apologet.
t. 6. Bi-
bliot. Pat.
P. 449.

Nos filii Ecclesie Catholicae sumus : non exigas à nobis, ut doctores super doctores esse audeamus, aut iudices super iudices. Patres quos universa per orbem Ecclesia probat, quorum communioni nos adhaerere gaudeatis, damnabilia hac esse dogmata decreverunt. Illis probantibus, nos obedire dignum est. Cur interrogas filios quid sentiant, cum patres audias quid decernant?

Quantum ad Religiosos attinet, si vocationem suam ament, sine ingrati animi vitio, & quadam specie amentiae, Schismati favere non possunt. Ordinis sui privilegia ipsamque institutionem debent Apostolicæ Sedi referre acceptam. At si dominationem aliquando Schisma obtineat, primas se victimas fore non dubitent huic monstro litandas, præsertim si fortunæ sint pinguioris. Interea cum Schisma non secus ac Hæresis Apostasie nuptiisque sacrilegis Monasteriorum patefaciat valvas, mirum adeo non est mona-

monachos reperiri, qui divisionis flammam excitent potius quam extinguant.

Ergone, inquires, monachorum est, solitudinis violare silentium, ut se in negotia Ecclesiæ intrudant, obsistantque incremento erroris? Utinam non se intrudant nocendo, qui nolunt opitulando! sed interim hoc idem est quod Aphraati solitudinis incolæ objecit olim Valens Imperator: cui ille scitè atque appositè, *Dicito mihi, ô Imperator, si filia alicujus essem, & sederem in conclavi... atque deinde cernerem flammam in ades incidisse... quid me facere oporteret, intusne manere, an sursum deorsumque cursitare, & aquam asferre, quâ flammam extinguerem? Hoc ipsum nos agimus, ô Imperator. Etenim cum tu jam in patris nostri ades flammam injeceris, nos circumcursitamus, quo eam maturè possimus extinguere.*

Theodoret. Hist. Eccles. l. 4. c. 26. edit. Valis.

Hoc Imperatore Ecclesiam dividente, Monachi complures relictis solitudinum cavernis ingressi sunt urbes, fidem defendentes eâ auctoritate, quam in eis ob probitatem morum vitæque austeritatem plebs omnis suspiciebat. Auditi sunt Stylitæ de summitate columnæ ad prætereuntem multitudinem perorantes ne ab Ecclesiæ unitate discederent: quin & descenderunt aliquando ut Hæresi se opponerent. Dalmatius Archimandrita post annos quadraginta de cellula sua primùm est egressus, ut impios Nestorii retardaret progressus; cujus laus ab Ephesini Concilii Patribus celebratur. Eiusdem Nestorii impietati Monachi Constantinopolitani præ ceteris restiterunt: nec ulli ardentius Monothelitarum & Joannis Hierosolymitani errores quam Palæstini Monachi debellarunt.

S. Ber-

S. Bernardus, nobile illud Hæreticorum sui temporis flagellum, & S. Dominicus, Albigenſium Hæreticorum terror, non Epifcopi erant, ſed Religioſi. Et ut ad tempora nobis viciniora reſpiciamus, in Concilio

Palavicia.
Hiſt Con-
cil. Trid.
tom. 3.
p. 806. edit
Plantin.

Florentino *de Regularibus illuſtre præconium habuit Cardinalis Lotharingus, teſtatur, tria Regularium millia in Gallia paucorum menſium ſpatio crudele martyrium paſſos fuiſſe, quod obedientiam Romano Pontifici debitam abjurare noluiſſent.*

Nec deſunt etiam hodie in Gallia Ordines Regularium, qui flammam eandem Catholicam generoſis pectoribus alunt. Verùm an non de quibuſdam Regularium Communitatibus dici è converſo poſſet, quod in Concilio Conſtantinopolitano de quodam Archimandrita dictum legitur? *Quare Monafteria habet? Omnes ibi hæreticos habet.*

Con cil.
Conſtan-
tin. ſub
Men. act.
4. in fine.

§. IV.

Quid, dum Schiſma imminet, agendum fidelibus.

Præcipua fidelium cura eſſe debet, ut, glifcente errore & Schiſmate, quanto ſubtiliori aſtutia nonnulli ſurripere conantur pretioſam fidei gemmam, tanto illam arctiori cuſtodia conſervare nitantur. Imitari eos oportet præclarum S. Hieronymi exemplum, qui quo magis Eccleſia orientis Schiſmatis tempeſtate jactabatur, eò ſe arctius adſtringebat Apoſtolicæ Sedi, quæ eſt centrum Catholicæ unitatis. Devitent omne cum Novatoribus commercium non ſecus ac halitum peſte contactorum; quia *ſermo eorum ut cancer ſerpit.* Interdicant ſibi libellorum Factionis noxiam ſummopere le-

2. Timot.
2. v. 17.

tionem, qui quanto politiores sunt stylo, & interdum etiam specie pietatis, tanto securius venenum in auro bibitur. Et ne quid dicam de fidei amittendæ periculo, non vacat crimine librorum ejusmodi lectio, quam Ecclesia severè prohibuit. Caveant super omnia conscientiaæ suæ arcana ascetica suspectæ magistris dirigenda committere. Confessiones Schismaticis Sacerdotibus factas sacrilegas esse supra demonstravimus. Maximâ hic opus est fragiliori sexui vigilantia. S. Chrysostomus viris foeminas in Schisma proniores esse commemorat. O quantam Sacratarum Deo virginum multitudinem in partes suas Donatistæ pellexerunt!

Homil. 11
in Ep. ad
Eph.

Neque fidelibus satis videri debet, si fidem ipsi à Novatoribus oppugnatam conservent: meminisse debent, esse se Matris Ecclesiæ filios, quam, cum injuriosè tractatur, uti parentem protegere & vindicare tenentur. Omnis homo miles, dicebat Tertullianus, quando de conterendis Religionis hostibus agitur. Scelus est, si in S. Sedem blasphemantes cum ignava tranquillitate audimus. Ad debitam Ecclesiæ ejusque Capiti Romano Pontifici reverentiam obedientiamque propugnandam, tendere debet eloquentiæ nostræ nervos libera quædam & sancta indignatio. Hos sensus verus Religionis amor inspirat: neque Christianæ doctrinæ rudimenta sciunt, qui ista ignorant. *Agite causas matris vestra, dicebat plebi suæ Augustinus, servus malus non insultet domina: hæreticus non insultet Ecclesiæ. Lupus est, agnoscite: serpens est, ejus capita conquassate.*

Aug. de
Symb. ad
Catech.
cap. 11.

Si quæras an non liceat tibi finem expectare

re

Luc. 11.
v. 23.

re dissidiorum, neutri interea parti additum? Ipsum audi respondentem Dominum, qui non est mecum, contra me est. Nefas est subdito, neutrius esse, quando à rebellibus Princeps invaditur. Potestne medius quis esse veritatem inter & mendacium, Christum inter & Belial? Græciæ Legislatores severas in eos poenas decreverunt, quicumque, sæviente populi seditione, patriæ periculum inertes & otiosi contemplarentur. Ergone horum inertiam imitari impunè fas fuerit, dum patriâ charior periclitatur Religio? An non Christus Dominus erubescet confiteri illos coram patre, qui eum coram homini-

Symmach
Epist 8.
t. 4. Con-
cil. Labb.
p. 1302.

bus erubuerint confiteri? *Ecce tempus quo repetit milites suos, & inclamat ad defensionem sui fervorem gratia consecutos.*

Yosue 27.
v. 16. 18.
19.

Filii Israël intelligentes tribus quasdam ad privatum Dei cultum sibi erexisse altare, hanc rerum sacrarum divisione vehementer exarserunt; adeo quidem ut eos acie delere meditentur, si legatos repellerent. Horum hæc fuit oratio. *Cur reliquistis Dominum Deum Israël, adificantes altare sacrilegum, & à cultu illius recedentes? ... Habitare inter nos: tantum ut à nostro consortio non recedatis, adificato altari præter altare Domini Dei nostri.* Christianos non minùs anxios & erectos reddere debet minima suspicio Schismatis. Verumtamen in lege gratiæ, ad unitatem fidei servandam, non bello & gladiis, sed persuasione, precibus, gemitibus, lacrymis certandum est. Non enim domus Dei defendenda est more castrorum.

Fideles, quorum Episcopus, aut inferior Ecclesiæ Rector Schismaticus esset, ad quædam

dam particularia obligantur, quæ neceſſe eſt
verbo indicare. Quemadmodum nullo modo
parendum eſt illi, ſi à fide vel obedientia
Pontifici debita abducere conetur ſubditos,
ita ſalvâ ſemper characteris reverentiâ mo-
deſtè quidem, ſed fortiter reſiſtendum eſt.
Populus Conſtantinopolitanus invictò animo
rejecit doctrinam Neſtorii: qui cum peſti-
feros errores coram frequenti multitudine
concionando exponeret, dicentem excepit
publica murmuratio: nec crediderant fide-
les violari templi majeſtatem, ſi aperta in-
dignatione impia docentem arguerent. Laici
duo Proſper & Hilarius errores Maſſilien-
ſium Preſbyterorum primi omnium impug-
narunt. Cum Hunericus mariimæ cuidam
Africæ civitati Arianum Episcopum dediſſet,
pars civium major conſcendiſ navibus diſceſ-
ſit, Prælatum Catholicum quæſitura: pars
domi ſe occludens, noluit ferre conſpectum
Paſtoris hæretici.

Non minor Samofatenſium fidei tuendæ
ardor emicuit. Tantâ conſtantiâ cives ſum-
mi & infimi obtruſum ſibi Episcopum Aria-
num agnoſcere, ullamque cum eo commu-
nicationem habere recuſarunt, ut ille, ta-
beſcens tædio ſolitudinis, Sedem tandem
ſuam deſerere compulſus fuerit. Suffectus
in locum ejus Lucius, & ipſe Arianus, idem
expertus eſt populi Catholici ſupercilium.
Nullus enim voluit eum ſalutare, nullus
aſpicere. Cumque in foro pueri colluderent,
& pila ex unius manibus elapſa inter crura
aſini Episcopum vehentis provolveretur, illi
eam pollutam arbitrati, igne conſeſtim ex-
tracto per flammam velociter trajecerunt,

Theodo-
ret. lib. 4.
c. 14. edit.
Colon.

ne fortè contagium traherent si non purgatã uterentur. Hæc post Theodoretum commemoro, ut pateat, quantum istis temporibus Catholici ab omni prorsus cum Pastoribus Hæreticis communicatione abhorrent.

Nec defunt Gallis exempla domestica. Cùm septem aut octo Episcopi Gallia Calviniana Hæresim vel sequerentur, vel foverent; qui pertinaciores erant, de Sedibus suis à populo expulsi fuerunt. Sanctum hunc ardorem fidei in quibusdam regni Christianissimi partibus non extinctum penitus viri Catholici magna animi consolatione conspiciunt.

Nihil tamen omnibus in commune fidelibus, cujuscumque sint gradus aut dignitatis, magis est necessarium, quàm ut crebris ferventibusque ad Deum precibus Divinam misericordiam flectant, ne simul cum fide fructum fidei vitam æternam amittamus. Obsecremus fontem fidei Christum, ne ob terræ nostræ sterilitatem rigare eam cesset rore cælesti. Terribili hoc Schismatis & Hæreseos flagello peccata populi solent puniri. Cùm ceteræ Divinæ Leges contemnuntur, tum denique fides amittitur.

Ad hæc maximè obligantur Gallia populi, quando ruinam fidei imminens Schisma minatur. Sed an hoc verè periculum subest? An non panicus incutitur timor? Judicet lector ex compendio historico præcipuorum Schismatum, & ex characteribus eorum qui Schismatum fuerunt Auctores.

CAPUT XIV.

Præcipua Ecclesiæ Schismata cum eo,
quod imminet Ecclesiæ Gal-
licanæ, comparantur.

§. I.

De Schismate Novatianorum.

UT diffidia quæ Galliæ Ecclesias hodie in-
festant, justum fidelibus terrorem in-
cutiant, tantum opus est ad antiqua Schif-
mata reflectere animum, ac dispicere, qui-
bus principiis orta sint, quæ mala produxe-
rint, quàm fallacibus artibus usi fuerint eo-
rum Auctores.

Primi, quod Ecclesiam divisit, Schisma-
tis auctores fuerunt Novatus & Novatianus:
quos duos Historici Græci non distinxerunt
ob nominis & dogmatis affinitatem. Nova-
tus *sax & ignis ad constanda seditionis incendia, Epist. 49.*
turbo & tempestas ad fidei facienda naufragia,
hostis quietis, tranquillitatis adversarius, pacis
inimicus, inquit S. Cyprianus: postquam Ec-
clesias Africanas Felicissimi satellitis sui at-
que Diaconi seditione turbaverat, cum sua
tempestate Romam quoque ad evertendam
Ecclesiam navigans, similia illic & paria mo-
litus est. S. Fabiani martyrio Petri Sedes va-
cabat. Ad hanc dignitatem, modestiæ pallio
regens ambitionem, aspirabat Novatianus.
Hunc fovebat Novatus; pluresque ei junge-
bat socios impietatis. Iptis spe sua frustratis
S. Cornelius Pontifex electus Fabiano suc-
cessit.

cessit. Tum tumultuantium furor erupit. Cornelium agnoscere recusantes, Clerum Romanum dividerunt: &, quod dolendum est maximè, nonnulli etiam gloriosi ac boni Confessores ab unitate Ecclesiæ illis incitantibus discessere: quorum accessione Novatiani multum crevit auctoritas. Nulli enim Religioni nocent magis, quàm quorum defectionem apud vulgus excusat probitas morum.

Novatianus nil nisi Ecclesiæ reformationem crepabat, Corneliumque accusabat laxatæ disciplinæ, ac nimix in remittendis peccatis lenitatis. Hæc machina successu non caruit. Nulla enim re aliâ simplicioribus imponunt facilius Novatores, quàm dum occultam vitæ solutioris licentiam rigore supercilii & doctrinæ severioris professione obnubunt. Novatianus adulatrices quaquaversum litteras destinabat, quibus Ecclesias remotiores in Schisma fucō pietatis impelleret. Harum exemplum nactus Cyprianus, quamquam Cornelium jam agnoverat legitimum Fabiani successorem, nova nihilominus Canonice electionis testimonia Româ ad se mitti curavit, quibus in Concilio exhibitis, detectisque Novatiani calumniis, Cornelio Pontifici cum Africanis Episcopis constanter adhæsit. Idem à ceteris Ecclesiis factum. Post hæc Cornelius Novatianum, & qui eum sequebantur, in Romano Concilio damnavit.

Hoc fulmine percussa ambitio, acriore veneni agitati fermento intumuit. Vindictam spirans Novatianus, mox Antipapam se iussit ordinari à suis in vico non procul Româ: ac denuo in Africam misit qui percurrerent

civi-

civitates & domos, omnesque ad Cornelium deferendum pellicerent. Episcopi, rati occurrendum seditionis periculo, cursores sacrilegos vinculo excommunicationis innodatos declararunt. Nihil hac re territus Novatianus, ipsum cum aliquot sociis Novatum in Africam misit, qui novos illic partium suarum Episcopos stabilirent: quod & per Orientis Ecclesias Novatiani fecerunt. Marcianum quoque Arelatensem in Gallia Episcopum palpando circumvenerunt: de quo Cyprianus scribens, Stephanum Papam hortatus est, ut ei de Ecclesia fugato orthodoxum Episcopum substitueret. Fabius etiam Antiochenus clam Novatiani patrocinatus est. Multi tamen Confessores, quos Novatiani deceperant, partim convicti Litteris S. Cypriani, partim conscientiae morsibus agitati, abjurato Schismate ad unitatem Catholicam reverterunt. Denique Novatiani, quantumvis in Nicæno Concilio condemnati, nolentes resipiscere, separatas à Catholicis Ecclesias in Africa & Oriente multo tempore conservarunt. Ex his quæ ad scopum faciunt sequentia notasse sufficiet.

1. Priusquam Novatianus Antipapam se declaraverat, & donec ab apertis contra fidem tradendis erroribus abstinuerat, eum uti Schismaticum præcisè fideles sunt execrati, quòd debitæ legitimo S. Petri Successori obedientiæ se fautoresque suos subduxisset.

2. Schisma mox secuta est Hæresis. Principio non erat nisi simplex à Pontificis obedientia recessus. Sine mora eò ventum est, ut peccatores absolvendi potestas negaretur Ecclesiæ, ut secundæ nuptiæ damnarentur,

ut rebaptizarentur qui ad partes Novatiano-
rum accederent.

3. Novatianorum hæ præcipuæ technæ & doli fuere, quibus ſimpliciores captabant. Clamabant à S. Cornelio Papa relaxari diſci-
plinæ ſeveritatem : introduci ab eo mollem in reconciliandis Deo peccatoribus lenita-
tem : non poſſe eos reconciliari niſi diutur-
nis gravibuſque pœnis probatos. Atqui hæc
ipſa ſunt, quæ contra Bullam Clementis XI.
in Gallia hodie Novatores objectant. Non
habent ſcilicet nova tela quibus impetant ve-
terem doctrinam Eccleſiæ.

4. Novatianis exprobrabant SS. Patres,
quod peccatores ad frugem redire volentes
barbaro ſupercilio & inhumana crudelitate
(quæ longè à Chriſti manſuetudine abſit) de-
venia desperantes in omnia denique crimina
præcipitarent. Eædem ſunt hodie de Janſenii
& Queſnelli fautoribus querelæ.

§. II.

De Schiſmate Donatiſtarum.

Donati Schiſma profundiffimum myſtico
Chriſti corpori vulnus inflixit. Crude-
liſſimæ tyrannorum perſecutiones florentio-
rem reddiderunt Eccleſiam Africanam,
quam Schiſma deſolavit. Tantum verò in-
cendium à ſcintilla leviffima eſt ortum. Diſ-
ceptabatur an Cæcilianus Carthagenſis
Epiſcopus eſſet legitimè ordinatus. Contro-
verſiâ ad Melchiam Papam delatâ, cauſâ
cecidit qui Cæciliano adverſabantur, &
qui Donatiſtæ poſtmodum appellati ſunt. A
ſententia Pontificis ad Concilium appellâ-
runt;

runt; à quo Arelate consentiente Melchiade celebrato iteratam damnationis sententiam retulerunt. Denique à Concilio appellarunt ad Constantinum Imperatorem: qui in gravissimam tantæ pertinaciæ indignationem erumpens exclamavit: *O rabida furoris audacia! sicut in causis gentilium fieri solet, appellationem interposuerunt.* Optat. lib. 1.

At cum quæstio esset de solis factis, de quibus Cæcilianus & qui eum ordinaverant accusabantur, Imperator causâ cognitâ tertio Donatistas condemnavit. At per tot appellationum interpositas moras in tantum excreverant numerum Donatistæ, ut trium tribunalium judicia lata contemnerent. Ad hæc Donatus occupatâ Sede Metropolitanâ factionem novæ dignitatis fulgore sustentabat: malum denique videbatur immedicabile postquam Julianus apostata in imperium successerat. Tunc enim minis, exilio, cædibus, rabie sævitum est in Catholicos. An non his paria à Quesnelli sectatoribus, si auctoritate prævaluerint, sunt timenda? Cum autem Ecclesia Donatistas uti Schismaticos detestata sit, quod iudicio primum Pontificis, deinde triginta duorum Episcoporum Arelate congregatorum sententiæ submittere se noluerint; an non illos potiori jure uti Schismaticos detestabitur, qui Quesnelli rebellionem sequentes non à Pontifice solùm, sed ab universi ferè orbis Episcopis condemnati sunt?

Duobus titulis plausibilior erat causa Donatistarum quàm Quesnelli sequacium: unde hi multò magis habendi sunt rei quàm Schismatici Africani. 1. Hos inter & Catholicos

licos non nisi mera disciplinæ quæstio verte-
batur, an Cæcilianus ritè & canonicè ordi-
natus esset; cuius decisio ex sola pendebat
probatione factorum, utrùm Cæcilianus,
aut qui eum ordinaverant, Libros Sacros
persecutoribus tradidissent. At verò qui ho-
die deserunt Ecclesiam, concedunt in ipsa,
cui acquiescere nolunt, Constitutione agi
de punctis fidei & *Propositionibus Religionis essen-
tialibus*, quemadmodùm Quesnellus ipse fa-
teri non erubescit.

2. Ingens Donatistarum Episcoporum
multitudo speciosum offerebat populo iis ad-
harendi prætextum. Primianus, unus ex
eorum principibus, trecentos numerabat
sibi consociatos Episcopos: at Constitutio-
nis hostes præter quatuordecim recensere
non posse manifestum est. Quanta in nume-
ro differentia! Et tamen Donatistis expro-
brabat Augustinus quòd pauci essent, si cum
ceteris orthodoxis Episcopis, à quibus se di-
viserant, comparentur.

Ceterùm Quesnelli sectatoribus exprobra-
re licet, quidquid Sanctus hic Doctor ali-
que Episcopi Catholici olim Donatistis ex-
probrarunt: mentiendi impudentiam; ef-
frontem in multiplicandis subscriptionibus
audaciam, quo numerosiores appareant;
recursum ad laica tribunalia; affectatam in
conferendo tergiversationem. Pares inter
se similesque sunt omnium temporum Nova-
tores. Si illi ipsi, qui hodie Jansenium &
Quesnellum sequuntur, præteritis vixissent
temporibus; partes procul dubio secuti fuif-
sent Donatistarum, Arianorum, Luthera-
norum, Anglicanorum, ceterorumque quot-
quot

quot unquam in Ecclesia fuerunt Schismaticorum: temporum enim inter illos, at non ingeniorum discrimen est. *Cum quæque novitas ebullit, statim cernitur frumentorum gravitas, & levitas palearum: tunc sine magno molimine excutitur ab area, quod nullo pondere intra aream tenebatur.* Quæ est ingeniosa Vincentii Lirinensis observatio.

Com-
mon. c 25.

§. III.

De Photii Schismate.

EX ingentibus quæ hoc Schisma secuta sunt malis apparuit, quantum nocere possit Ecclesiæ & Imperio, qui primariam regni Sedem occupans, nixusque favore Principis, ambitionem & superbiam obvolvitur larvâ modestiæ & pietatis. Photius, in quo ingenii dotes cum depravatis affectibus jungebantur, in Sedem Constantinopolitanam, dejecto S. Ignatio Patriarchâ, intrusus favore Michaëlis Imperatoris & Bardæ hominis sceleratissimi, qui summâ apud Michaëlem pollebat auctoritate; non se tutum credidit esse nisi obtento Romani Pontificis consensu & approbatione. Itaque ob hanc rem Photius legatos Romam misit, Deo ita disponente, ut à primo Schismatis auctore Primatus agnosceretur Romanæ & Apostolicæ Sedis. Auditis qui à Photio venerant, Pontifex Nicolaus I. Constantinopolim delegavit qui coram de causa cognoscerent, neque tamen ferrent sententiam, sed sibi tanti negotii iudicium reservarent. Sed Pontificii Legati corrupti blanditiis & minis, probatâ Photii ordinatione Ignatium rejecerunt, quid-
quid

quid ille ad Sedem Apostolicam appellaret. Quâ re intellectâ, Nicolaus acta omnia irrita declaravit, Photiumque excommunicationis sententiâ percussum à fidelium communione removit. Hic verò munivit se coacto Episcoporum sibi faventium Conciliabulo, cui præfidere fecit Imperatorem, transferens Ecclesiasticam jurisdictionem in manus laicæ potestatis inaudito impiæ prævaricationis exemplo, quod Episcopi Schismatici omnes hæctenùs sunt imitati. Verùm interempto Michaële & Barda, Basilius qui successerat Imperator, restituto S. Ignatio, Pontificis in Photium sententiam executioni mandavit.

Spondan.
Epitom.
Baronii ad
ann. 869.

Acta octa-
vi Conci-
lii Gene-
ralis.

Post hæc Adrianus Papa Nicolai successor Legatos Constantinopolim misit, qui octavo Concilio Generali præsiderent. Ad hoc illi duntaxat Episcopi admissi fuere, qui se à Photii communione separaverant. Ceteri poenitentium in morem comparentes rogantur absolvi *per intercessionem Sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ, & SS. Apostolorum, & Sanctissimi Papa Nicolai.* Admissi fuere hac conditione, ut subscriberent Formulæ quam Romæ legati attulerant. Hæc autem fidei confessio, quam ad extinguendum Schisma necessariam judicabant Concilii Patres, his notabilibus verbis concepta erat: *Sequentes in omnibus Apostolicam Sedem, & observantes ejus omnia constituta, speramus ut in una communione, quam Sedes Apostolica prædicat, esse mereamur, in qua est integra & vera Christiana Religionis soliditas, promittentes etiam sequestratos à communione Ecclesiæ Catholice, id est non consentientes Sedi Apostolicæ, eorum nomina inter sacra non recitanda esse mysteria.*

Photius

Photius insignium imposturarum in ipso Concilio convictus, in Monasterio quodam inclusus fuit. At S. Ignatio vitâ functo revixit hominis ambitio. Sedem novis fraudibus occupavit, mittensque de suis aliquos ad Joannem VIII. acceptas ab eo Pontifice litteras simul cum legatis ejus corrupit; ac denique à variis iterum Pontificibus anathemate percussus, tandem à Leone Imperatore, ad quem Stephanus VI. scripserat, secundum Pontificis vota in exilium expulsus fuit. Pax reddita videbatur Ecclesiæ. Sed tam diuturna tempestas seditionis ambitiosos Patriarcharum animos velut pestifer aër infecerat ad consummandum denique Schisma illud infelix, quod Græcorum Ecclesiam & Imperium in miserrimam, quam videmus, servitutem redegit. Quanta in hoc Historiæ compendio documenta, ut Schisma velut malorum omnium fontem abominemur, ac genium etiam noscamus Schismaticorum!

1. Sola impostoris & hypocritæ unius ambitio tantam Ecclesiæ stragem intulit. An ergo securos nos reddet hodierna rebellio Episcoporum, quantumvis paucorum, qui auctoritatem S. Sedis erecta cervice contemnant?

2. Postquam Photius excommunicatus à Papa & depositus, non desit contemptis censuris fungi officio, Catholici Schismaticum eum esse exclamarunt, etsi faventem sibi haberet Imperatorem & multitudinem magnam Episcoporum & Clericorum, qui fidem ei subscriptionibus suis obligaverant: quotquot verò cum eo communicaverant Presbyteri, eos velut Schismaticos Concilium Generale rejecit.

3. In

3. In Photii causa de disciplina duntaxat quaestio agitabatur; quid ergo timendum ab iis, qui ob dogmatis decisionem deficiunt?

4. Corruptae à Photio Pontificum Epistolae, & vis legatis ejus illata ne se ab ejus communione separarent, satis indicant judicasse ipsum necessariam esse cum S. Sede communionem saltem specie tenus, ne Schismaticus appareret.

5. Photius ne auctoritati se subiceret Episcopi Romani, sufficientem titulum credidit quod esset Patriarcha Constantinopolitanus: quippe qui Patriarchas Occidentis subditos esse Romanae Sedi non diffitebatur.

6. Episcopi qui hoc tempore dogmaticae S. Sedis decisioni resisterent, & fulmen excommunicationis vibratum in eos propter insignem contumaciam; nec tam speciosum haberent rebellionis praetextum, nec tam certum ac potens Principis patrocinium, nec tantam numerositatem Praelatorum sibi faventium, nec tantam eruditionis & sanctitatis famam; quanta horum singula in Photio reluxerunt: & licet haberent haec omnia; fateri nihilominus oporteret, aut eos esse Schismaticos cum Sectaribus suis, aut Photium nunquam fuisse.

§. IV.

*De Schismate Henrici VIII.**Regis Angliae.*

MOres Principum corrupti corrumpunt saepe etiam & Religionem & fidem. Exemplum in Henrico VIII. habemus luctuosum. Illicitus hujus Principis erga foeminam

minam amor, pudenda fuit Schismatis & prætenſæ in Anglia reformationis origo. Poſtquam tori & coronæ ſociam habuerat Catharinam Ferdinandi & Iſabellæ filiam annos decem & octo, prolemque ex ea non unam ſuſceperat, de repudio cogitavit. Quippe conjugalem facem extinxerat adulterinus erga Annam Bolenam amor. Itaque Pontificem rogavit ut matrimonium ſuum nullum irritumque à principio fuiſſe declararet eo prætextu, quod illius contrahendi facultatem per ſubreptitiam Julii II. diſpenſationem obtinuiffet.

Clemens VII. qui tum clavum regebat Eccleſiæ, negotium tanti momenti variis congregationibus examinandum dedit, legatosque miſit in Angliam ut de cauſa cognoscerent: deciſionem tamen à ſe expectari voluit, ſperans fore ut morâ in longum protractâ ardor ille Henrici libidinoſus, cujus initia violentiora eſſe ſolent, paulatim deferveret. At ille moræ pertœſus, nec faventem denique paſſioni ſuæ à S. Sede expectans ſententiam, emptis plurium Doctorum Pariſienſium ſuffragiis, cauſam quam Pontificis iudicio ſubjecerat, decidi juſſit à Cranmero Cantuarienſi Archiëpiſcopo, qui nuptias cum Anna Bolena contrahi legitime poſſe declaravit.

Pontifex tantum & tam publicæ offenſionis delictum dilatâ tantisper poenâ diſſimulavit, ſperans facilius paternâ lenitate reduci poſſe Henricum, quàm rigore iudicii. Operâ ad id uſus eſt Franciſci I. qui Joannem de Bellay Archiëpiſcopum Pariſienſem in Angliam delegavit, ut Regi meditati Schismatis horro-

rena

rem incuteret. Motus videbatur Henrici animus, qui & promisit non recessurum se à S. Sedis obedientiâ, si Pontifex Bullam excommunicationis differret.

Novas Pontifex inducias concessit. Post quas cum nihil de Henrico intelligeret, nec spes affulgeret mutationis, tandem in eum fulmen excommunicationis emicuit. Verum est quidem aliquot post dies missum à Rege cursorem, qui nuntiaret consentire eum ut negotium resumatur. Sed serum id tunc erat: nec culpari Pontifex potest nimix precipitantix post factas quatuor annorum inducias.

Henricus acceptâ Clementis Bullâ anceps hæsit aliquantisper. Sed tandem passione prædominante abreptus, *Caput Ecclesie Anglicanæ* declarari se iussit, vetuitque ne quis subditorum Romanam jurisdictionem agnosceret, ac ne Papæ quidem nomen proferret. Quo declaravit nullam se aliam fidei regulam habuisse præter libidinem & vindictam.

Infelix! qui suam & populi Religionem atque salutem postposuit amoris foeminx impudicæ; quam propter violatam non semel prætensi matrimonii fidem, extracto pegmate ad infame mortis supplicium palam damnavit: Deo sic vindicante effusum tot martyrum sanguinem per illum qui effuderat, & per mortem ejus quæ Henricum in Schisma tantamque crudelitatem illecebris suis impulerat.

Per hos impietatis gradus formatum Schisma, quod Angliam à communi matre Ecclesia ad hæc utque tempora dividit. Cujus causa fuit tum Henrici libido, tum ignavia adulatrix Episcoporum: quorum aliquos blanditiis

icitis sibi junxit, alios minis terruit. Hinc factum ut Episcopatu silente, sola (quæ Parliamentum dicitur) Laicorum Curia loqueretur.

Sed quàm abominandi effectus secuti sunt Schisma? Sicâ & securi sævitum in Catholicos; bona Ecclesiarum & Monasteriorum direpta; spiritualis Episcoporum auctoritas conculcata; nec multo post in sacrilegam compensationem amissæ jurisdictionis & fortunarum, Episcopis Monachisque execrabilium libertas data nuptiarum. Henricus novâ semper & insatiabili abreptus libidine, uxores tres aut quatuor quas duxerat repudiavit, quarum duæ adulterii fuerunt convictæ. Hæc fuit præclara ista, quæ prætexebatur, morum & disciplinæ reformatio.

§. V.

Reflexiones in præcipuorum Schismatum narratam historiam.

UT Ecclesia Catholica ab inanibus Schismaticorum prætextibus vindicetur, tantum opus est attentè expendere Schismatum historiam. Origo omnium Schismatum semper fuit latens quædam sub larva modestiæ, pietatis, rigoris, impotens animi passio. Non est hæc propria vocatio, veritas, & unitas Apostolorum.

2. In omni Schismate longiùs paulatim progressum est, quàm sub ipsis divisionis initiis credebatur. Primi Schismatum auctores terminum, ad quem cæca multitudo sequentium ducebatur, cautè plerumque & diligenter

ter occultabant, aut etiam aliquando ignorabant ipsi. Præceps unum & insolens factum audaciâ frontem obdurat, incitatque animum, ut quod jam commissum est facinus, ne revocare oporteat, novo superaddito sustentetur: donec rem eò deducat animosa pertinacia, ut jam pedem referre sit pudor; qui est ultimus ad perniciem gradus.

3. Omnia Schismata formata sunt pedentim, & sine sensu populi, qui præcedentibus primùm Magistratibus omnium postremus à fide desciscere solet. Duces verò Schismatum variis propositis tricis quas explanari desiderant, tamdiu cum Apostolica Sede luctantur, donec per captatas studio moras adeo rebellium accessione invalescant, ut Pontificis auctoritatem tutò jam audeant apertèque contemnere. Schismatis futuri indicia patebant oculis omnium, & vox prima reclamantium surdis auribus fuit excepta.

4. Iisdem tricis, fallaciis, artibus, quibus Schismata olim nata sunt, utuntur hodie in Gallia qui Pontifici Ecclesiam docenti parère recusant. An non ergo ex paribus causis pares expectandi timendique sunt effectus? Timorem auget multorum silentium & fallax securitas. Schisma non nascitur, nisi quando non timetur.

CAPUT XV.

Characteres historici Episcoporum
qui Schismatum Auctores
fuerunt.

§. I.

Character historicus Novatiani.

Timorem Schismatis sæpè expellit aucto-
ritas pietasque apparens eorum, qui
factionis sunt duces. Sequentes characteres
Catholicos reddent cautiore.

Novatianus affectatâ quadam modestiâ,
morum gravitate & eximiâ eloquentiâ sum-
mam sibi apud omnes comparaverat auctori-
tatem. Hâs animi dotes corrumpit ambitio oc-
cultâ, quam incendebat Novatus spe obti-
nendi Pontificatum. Prælatum sibi S. Corne-
lium æquo animo ferre non potuit. Ad novi
Pontificis contemptum impulit hominem hy-
pocrisis, ambitio, vindicta. Hæc vitia, ne
apparerent, tegebat fûco Moralis severioris.
S. Cornelium Christi mansuetudinem imitan-
tem accusabat nimix erga peccatores lenita-
tis, quos ipse supercilio Pharisaicò repellen-
dos censebat, eo tyrannicæ crudelitatis fa-
ctu, ut ne in mortis quidem articulo recon-
ciliandos Deo admitteret ad poenitentiam:
quod nihil aliud erat, quàm ipsum Poeniten-
tiæ Sacramentum de medio tollere disciplinæ
rigidioris prætextu.

At quàm horrenda patravit rigidus ille
Moralis purioris buccinator? Famam Sancti

L

Ponti-

Pontificis proscidit calumniis atrocibus : jurandum , quo obstrinxerat sese ne Pontificatus honorem admitteret , violavit : Epistolas in Pontificem infames jussit conscribi : quaedam etiam sub ementito Confessorum nomine falsas suppoluit : missis quaquaversum exploratoribus ad rebellionem sollicitavit Ecclesias : populo priusquam Sacram Eucharistiam distribuere , utriusque singulorum manibus prehensis dixit ; *Jura mihi per Corpus & Sanguinem Domini nostri Jesu Christi , quod me nunquam deserere , & ad Cornelium reverti velis.* Atque ad hæc omnia à Clero suo compulsus se fuisse hypocrita ille testatus est : ad quem S. Dionysius Alexandrinus sequentem scripsit Epistolam : *Si invitatus impulsus es , sicut dicis , declarabis hoc si voluntarius redieris. Oportebat quidem nihil non ferre ne Ecclesiam Dei scinderes. Nec est martyrium hoc , Ecclesie non scindenda gratia toleratum , minoris gloria quam quod fertur propter idololatriæ recusationem. Immo meo judicio majoris etiam gloria est. Nam illic pro una quidem anima martyrium toleratur ; hic verò pro universa Ecclesia. Jam verò si persuaseris fratribus , vel coegeris etiam ut ad concordiam redeant , majus erit factum hoc tam egregium , quam delictum quod precessit : & illud quidem non imputabitur , hoc verò laudabitur. Si verò immorigeris persuadere nequiveris , servando serva tuam ipsius animam. Salvum te paci in Domino adhaerentem esse cupio.*

Uti res nulla alia , ita nec Epistola hæc flexit Novatiani animum superbia & vindictæ studio excæcatum. Hominem avidissimum gloriae retinebat laqueo Schismatis irretitum , quod esset factionis numerosæ caput & Princeps ;

Apud. Eu-
feb 16.
Hist Ec-
cles. cap. 42

Ibid. cap.
45

ceps; cujus favore & instinctu eò venerat audaciæ & impietatis. Nec minores pertina-
ciæ stimulos addidit fama sanctitatis, quam in ipso & partiaris ejus suspiciebat, simplex multorum credulitas. *Cathari*, id est, *puri* vocitabantur; & patrata ab ipsis narrabantur prodigiosa quædam miracula: quod fanaticæ vanitatis figmentum recentissimè ad honorem factionis renovatum audimus ab iis, qui hodie Gallicanam Ecclesiam scindunt.

Novatianum ob fidei odium ab infidelibus interemptum discipuli ejus jactabant. Quidquid sit, martyrium extra Ecclesiam toleratum *perfidie poenam, non coronam justitiæ* esse merito censet Cyprianus. Veriorem martyris gloriam adeptus est S. Hyppolitus, qui Novatiani quondam partes secutus, cum ob fidei constantiam ad supplicium duceretur, & à plebe eum secuta rogaretur quæ secta esset melior, teste Prudentio

Prudent.
Hymno
II. de coronis.

Respondis: Fugite o miseri execranda Novati Schismata: Catholicis reddite vos populis.

*Una fides vigeat, prisco qua condita templo est,
Quam Paulus retinet, quamque Cathedra Petri.
Que docui, docuisse piget: venerabile martyr
Cerno, quod à cultu rebar abesse Dei.*

Aliter martyr ille moriens sentiebat, quam senserat vivus. Nemo æternitati proximus doluit quòd in Ecclesiæ gremio moreretur. Mors Schismaticorum terribilis. Multos vidimus, morte appropinquante, Jansenii & Quæsnelli abjurare sectam, quam valentes fuerant secuti. Alios habet mors oculos, quam vita.

§. II.

Character historicus Donati.

Donatus Carthagenensis habebat omnia, quæ requiruntur ad formandum Sectæ auctorem: dotes scilicet naturæ præstantes cum insigni hypocrisi & insatiabili ambitione conjunctas. Ad Sedem Metropolitanam evectus; omnem quâ valebat auctoritatem impendebat ad factionis suæ incrementum & confirmationem. Si qui erant refectarii, & Catholicis Episcopis rebelles, eos comiter excipiebat, protegebatque: Clericos quoque ob crimina à legitimis Episcopis reiectos, & ad se recurrentes, sacris ordinibus initiabant Episcopi Donatistæ; quod ipsis exprobrat S. Optatus & Augustinus.

Erat Donatus in præconceptis erroribus pertinacissimus, quos ceu totidem veritates Catholicas venditabat: Pontificis, Episcoporum Concilii Arelatensis, ipsiusque Constantiniani, à quibus damnabatur, contemptor egregius. Mortuo verò hoc Imperatore, omnes arrogantiae atque audaciæ limites excessit. Partu numero factionis superbiens, adorari se velut Deum alterum ab adulatoribus, ac jurari per nomen suum patiebatur, ut testatur S. Optatus.

Hunc fastum augebant acclamationes discipulorum in has voces erumpentium: *Euge, euge dux bone, dux præclare!* Et non respondit Donatus cum Davide: *Avertantur statim & erubescant, qui dicunt mihi euge, euge.* Quin & ipsi litigantium patroni pro clientium suorum causa in profana curia declamantes, ab
 ipsius

Lib. 3.

Aug. in
Psalm. 69.

ipſius laudibus non temperabant : quorum unus, teſte Auguſtino, coram Proconſule perorans auſus eſt dicere : *Cum Eccleſia Catholica ſanctitatem vir memoria venerabilis ab errore perfidia Donatus aſſereret, in ejus nomen & cultum mundi penè totius obſervantia nutrita coaluit.* Donati doctrinam probari miraculis jactabant diſcipuli, dicebantque, ut refert Auguſtinus, *Hoc verum eſt, quia illa & illa mirabilia fecit Donatus vel Pontius, aut quia ille frater noſter, aut illa ſoror noſtra tale viſum vigilans vidit, vel tale viſum dormiens ſomniavit.* Affectatâ quadam in verbis, geſtu, inceſſu gravitate animos ſimplicium faſcinabat; nihilque in moribus ejus reprehentione dignum fuiſſe teſtatur Auguſtinus. Quâ verò ratione Donatus & Epifcopi Donatiſtæ tantam ſibi ſanctitatis famam compararint, idem Auguſtinus exponit : *Superbiâ, inquit, tumidi, pervicaciâ veſani, calumniis inſidioſi, ſeditionibus turbulenti, ne luce veritatis carere oſtendantur, umbram rigida ſeveritatis obtendunt.* His dolis velut totidem de coelo lapſi Catones ſuſpiciabantur : *Magni homines vos eſtis, inquit iterum Auguſtinus, excelfi, cœleſtes, divini, nec jam homines, ſed angeli.*

Nihil ita animos aufert, ducitque in errorem, quàm fallax iſta populi credulitas, & exiſtimatio probitatis : quo faſcino tot demeravit animos callidus impoſtor Donatus. Quapropter ut contra hanc peſtem antidoto Catholicos muniret S. Auguſtinus, hæc ad eos notati digniſſima verba habuit. *Sunt in Eccleſia lapides pretioſi, & ſemper fuerunt, docti, abundantes ſcientia & eloquio & omni inſtructione legis : ſed ex eorum numero quidam aberraverunt*

In Cref.
con. l. 3.
c. 56.

Aug de
unitate
Eccl. c. 19.

Cont. litt.
Peril. l. 2.
c. 39.

Cont.
Epilt.
Parm. l. 3.
c. 1.

Cont. litt.
Peril. l. 3.
c. 105.

Auguſt.
Serm. 37.
nov edit.
p. 182.

ab ornamento (Ecclesiae) mulieris fortis... Lapis pretiosus erat Donatus : sed resiliuit à compage ornamenti... Mali filii quid sequimini lapidem pretiosum de ornamento hujus mulieris excussum ? Respondetis mihi, Quid enim ? Tu sic intelligens quomodo ille ? Aut sic loqueris quomodo ille ? Aut tam doctus es quam ille ? Sit licet intelligens... sit licet doctus, liberalibus disciplinis & mysteriis legis instructus ; lapis est pretiosus : redi ab illo ad istam, PRETIOSIOR EST LAPIDIBUS PRETIOSIS, Lapis pretiosus si non sit in ornamento mulieris hujus, jacet in tenebris.

§. III.

Juliani Eclanensis character historicus.

DOcet nos vita Juliani Eclanensis quantum timendum sit ab Episcopo, qui cervicem duram & fræni impatientem cum doctrinæ & probitatis fama conjungit ; maxime si accedat splendor illustri natalium, & cum potentissimis familiis contracta affinitas.

Julianus clarissimis parentibus ortus, affinis erat nobilitati totius ferè Italiae. De hoc S. Fulgentius testatur, *paterna nobilitati Æmiliorum fasces admovisse*. Junior uxorem duxit filiam Æmilii Consulis, postmodum Beneventani Episcopi. Has nuptias Paulinus, ipse quoque non minus nobilitate quam vitæ sanctitate spectabilis, Epithalamio Christiano celebravit.

In Juliano cum celsitudine animi singularis pietas à teneris emicabat. Juventutem altaris ministerio consecraverat ordine Lectoris suscepto. Hoc officio functus est in ipsa Ecclesia patris sui Memoris consecrati Episcopi Capuani.

Apud
Carnier.
t. 1. in
Mercat.
p. 145.

puani. Tandem vel obitu uxoris, vel mutuo voto libertati redditus, atque à S. Innocentio Eclanensis Ecclesiæ Episcopus consecratus, toti Italiæ probitatis exemplo præluxit. De quo Gennadius: *Priusquam impietatem Pelagii in se aperiret, clarus in Doctoribus Ecclesia fuit... eleemosynis tempore famis & angustia, indigentibus omnibus suis prerogatis, multos miserationis specie heresi sua sociavit.* Quin & S. Augustino amicitia fuit conjunctus, donec amborum animos divisit Juliani error. Episcopus tot virtutis, ingenii, naturæ dotibus conspicuus, recenti seccæ tunc grassanti videbatur futurus utilior, quàm ut eum in partes suas pertrahere Pelagiani negligenter. Hunc itaque specioso Sectæ Principis titulo inescarunt.

Pelagii & Cælestii defensurus doctrinam, solius se id facere amore veritatis palam est protestatus. *Nunc, inquit, postquam delectationi accessit auctoritas, ut consensu penè mundi, membripotens regina mentium, expugnatrix honestatis, & invicta animorum omnium captivatrix turpitudine baccharetur: nobis quanto honestior, tanto durior tuenda veritatis causa facta est.* Ad quod, ut ait, animabat, *Spes & Fides in Deum.* Quærebatur præterea, Doctores Catholicos non alia de causa æquo animo ferre non posse defensores Pelagii, nisi quod gloriam eis inviderent, quam sibi comparaverant scriptis tot libris continentibus Christianæ pietatis medullam. *Nefaria, inquit, quæ adhuc fervet seditionis auctores (sic ille vocabat Catholicos) ad hominum, quorum sanctis studiis uruntur, contumelias & exitium decreverunt per ruinam totius Ecclesia pervenire... Nam si quis aut liberum in hominibus arbitrium, aut Deum esse nascentium*

De virt
illust. c.
45.

Apud Au-
gust. l. 2.
operis
imper-
fecti.

Apud
Mercat.
c. 6. sub
nota
Et apud
August de
nupt. &
concupif.
c. 3. l. 2.

conditorem dixerit, *Celestianus & Pelagianus vocatur. Ne igitur vocentur heretici, fiunt Manichæi.*

Verissimè dixit sapiens nihil esse sub sole novum, nec quidquam jam fieri quod pridem non sit factum. Erant tunc Episcopi quidam ignavi, aut clam errori patrocinantes hand absimiles Joanni Hierosolymitano, qui silentium imponebant parti utrique, vetabantque ne quis Pelagianus appellaretur aut Manichæus. Non multò post iidem illi depositâ larvâ à Pontificis sententia ad Concilium appellarunt. Julianus calamo & auctoritate excellens, octodecim sibi junxerat Italiae Siciliaeque Episcopos, præter alios Galliae Prælatos qui favebant Pelagio.

Refractarii illi Episcopi subscribere noluerunt Constitutioni Zozimi Papæ, quâ Pelagii & Cælestii damnabantur errores: timentesque vim fulminis imminentis, ut se adversus censuras præmunirent, à Constitutione Pontificis ad futurum generale Concilium appellarunt, conquerentes relictam non fuisse Episcopis, qui subscripserant, libertatem; subscriptiones ab ipsis, priusquam ad Concilium vocarentur, extortas; ipsos denique causâ non satis cognitâ præceps cæcumque tulisse iudicium.

Appellatio hæc, ante illa tempora inaudita, Catholicis omnibus nihil aliud esse censebatur nisi aperta belli cum Ecclesia gerendi declaratio. *Aut verò, dicebat Pelagio Augustinus, congregatione Synodi opus erat, ut aperta perniciès damnaretur. . . . cum sint incomparabiliter plures, quæ ubi extiterunt, illic improbari damnarique meruerunt. Verùm istorum superbia tantum se extollit, ut orbem, quoniam perver-*

Aug. l. 4.
ad Boni.
fac. c. ult.

Aug. l. 4.
ad Boni.
fac. c. ult.

pervertere nequeunt, saltem commovere conentur.

Julianus animadvertens appellationem uti ineptam, invalidamque in re dogmatica, ac Pontificiæ auctoritatî insultantem ab omnibus rejici; facti tam insoliti reddi rationem oportere judicavit. Itaque suo & Episcoporum appellantium nomine ad Zozimum libellum fidei misit artificiosissimè compositum, quo sensus hæreticus latens sub ambiguitate verborum, speciem doctrinæ Catholicæ præferebat. Sub libelli finem rationes interjectæ appellationis exponebantur: alieno sensu acceptam fuisse Pelagii & Coelestii doctrinam: falsò iis attributos errores; quòd absentes & audiri postulantes fuissent damnati, licèt editis fidei professionibus se probassent Catholicos: latam in eos censuram Scripturæ repugnare & Patribus. Denique Zozimum obtestabatur ne existimaret, sibi insultandi animo, sed solo conscientiæ lædendæ timore Episcopos appellasse.

Vide Libellum fidei apud Garner. in Mercat t. 1, p. 223.

Non voravit hamum Zozimus sub dolosa fidei expositione latentem. Notus erat Juliani sermo captiosus & fraudulentus. Hanc fraudem ambiguitatemque verborum exprobat ipsi Mercator, aitque verba Juliani simillima esse iis, quibus Cræsum Pyrrhumque fallebat oraculum. De caveis, inquit, subterraneis, & tortuosis latebris in lucem protraham. Erant hæ propriæ Pelagianorum fallaciæ; ad quos S. Hieronymus, *Ecclesie victoria est, vos aperte dicere, quod sentitis. . . . Sola hæc hæresis est, qua publicè erubescit loqui, quod secreto docere non metuit.*

Mercator sub nota l. 6.

Quapropter S. Leo monebat Episcopum quemdam ne se captiosis fidei professionibus ludi-

S. Leo
Epist. 86.
ad Nicat.
Aquil.

ludibrio Pelagianis exponeret. Damment, in-
inquebat, apertis professionibus sui superbi erroris
auctores, & quidquid in doctrina eorum univer-
sali Ecclesia exhorruit, detestentur: omniaque
decreta Synodalia, quae ad excisionem hujus hare-
seos Apostolica Sedis confirmavit auctoritas, am-
plecti se in omnibus, approbare, plenis & apertis, ac
propriâ manu subscriptis protestationibus eloquan-
tur. Nihil in verbis eorum obscurum, nihil inve-
niatur ambiguum. Quoniam novimus hanc isto-
rum esse versutiam, ut in quacumque particula
dogmatis execrandi, quâ se à dogmatorum socie-
tate discreverint, nihil sibi sensuum suorum exi-
stiment esse non salvum: Cumque omnes diffini-
tiones suas ad tantam facilitatem improbare se
simulent, atque deponere, hoc ibi tota arte fal-
lendi, nisi intelligantur, excipiant, ut gratia
Dei secundum meritum dari accipientium sentia-
tur.

Zozimus Pontifex rejecto libello fidei sibi
à Juliano ipsique adhærentibus oblato, nul-
lamque omnino frivolaë appellationis ratio-
nem habens, ipsos anathemate percussos,
simulque exauthoratos de Sedibus expulit;
quos etiam Imperator decretis in se poënis
parere coëgit. Julianus ceterique Episcopi
appellantes ex Italia Siciliaque deturbati
Constantinopolim confugerunt: ubi à Nesto-
rio, gratiam ipsis Imperatoris spondente,
amicè fuerunt excepti. Inde ad Ephesinum
Concilium se contulerunt, querentes injuriâ
se Romæ vexatos, expulsosque de Sedibus
suis, quod à Pontificis contra se præoccu-
pati sententiâ ad Generale Concilium appel-
lassent. Quapropter admitti se in Patrum
congregatorum coetum postularunt. Pruden-
tes

tes Episcopi non admiserunt suspectos exules: Permissum duntaxat, ut Decretum Zozini quo exauthorati fuerant, coram Patribus prælegeretur: quo prælecto, nullâ novâ causæ cognitione, nullo de doctrina instituto examine, anathemate fuerunt percussi. Rem totam Concilii Patres ad Pontificem in hæc verba perscripserunt: *Perlectis in Sancta Synodo commentariis actorum in depositione impiorum Pelagianorum & Celestianorum.... quæ à pietate tua de ipsis decreta & constituta sunt, iudicavimus & nos ea solida firmaque permanere debere, & idem omnes tecum statuimus, eos pro depositis habentes.*

Concil.
Ephes.
act. 5. & 7.

Julianus in Italiam reversus, novâ, sed perinde ambiguâ fidei professione iteratas Sedi Apostolicæ tetendit insidias. Sed à Sanctis Pontificibus Sixto & Leone repulsus, in Sicilia denique diem extremum clausit: cujus sepulchro hoc elogium insculpsere discipuli: *Hic in pace quiescit Julianus Episcopus Catholicus.* Ausi sunt vocare *Catholicum* his scilicet prætextibus, quòd ab exteriori Ecclesiæ communione nunquam se ipse separaverit; quòd palam sæpe testatus sit controversiam non fuisse agitaram de dogmate; quòd à Pontifice ad Concilium appellasset; quòd florisset sanctitatis famâ; quòd denique doctrinæ sectatores habuisset Episcopos complures, atque etiam viros principes, omnes moribus & pietate spectabiles.

§. IV.

Character historicus Nestorii.

NOtus adeò est hujus Hæresiarchæ genius, ut quædam ejus specimina sufficiant ad judicandum quantum Ecclesiæ & Religioni adferre detrimentum possit evector ad primariam regni Sedem Episcopus, quando virtutis specie turbulentum animum celans, Schismaticorum ducem se præstat & caput.

Nestorius à Clero Antiocheno ad Sedem Constantinopolitanam evector, singularem animi moderationem ac pietatis fucum præ se tulit. In vestitu modestia, in ore pallor, in fronte severitas, in incessu gravitas spectabatur. His larvis famam quam aucupabat sanctitatis haud difficulter est assecutus. Interea sollicitè errores, quos in Schola Theodori Mopsvesteni didicerat, animo occultabat, donec eos palam disseminare maturum foret. Ante omnia Imperatoris & aulicorum captare gratiam, animos sibi devincire Clericorum, Episcoporum amicitiam ambire, Monachos, quos corrumpere non posse videbatur, crudeliter vexare homini vaserimo curæ fuit.

Porro Prælati regis urbis, magnæque apud Principem auctoritatis, semper habet fortunæ & fidei suæ Episcopos mancipatos. Nulla ætas, nulla regio, nulla hominum conditio servilibus animis caret. Nestorius Dorothei Episcopi & Anastasii cujusdam presbyteri venali operâ utebatur ad disseminandos ptimum errores suos sacrilegos. Populo dogmatum enormitate commoto, silentium

lentium affectabat Nestorius, non ignorans nihil esse ad fovendam roborandamque perverſi dogmatis novitatem efficacius, quàm conniventia & ſilentium ejus, quem primam erroris ſcintillam excutere atque extinguere oporteret.

Haud multò poſt hæc tempore, plebis inſtruendæ prætextu, impietatis ſuæ præco fuit ipſe Nestorius. Tunc urbs Conſtantinopolitana partium ſtudio ſciſſa fuit: aulâ Neſtorio & parte Cleri favente, Monachis verò cum populo reclamantibus. Cauſidicus quidam nomine Eufebius non dubitavit in faciem reſiſtere Neſtorio; edito palàm ejus & Theodori Mopſveſteni Doctrinæ parallelo. Archimandritæ quoque & Monachi ob oculos illi propoſuerunt publicam populi indignantis offenſionem: quos ille verberibus onuſtos detrudi juſſit in carcerem.

Mox tamen premendæ ſeditionis gratiâ palam declaravit, de nullo fidei dogmate, ſed de una dumtaxat vocula nullius momenti quæſtionem eſſe. Verbis ambiguis, & ſenſum Catholicum patientibus, obtegebat venenum erroris. Homilias ad omnia Ægypti Monasteria deſtinavit, Monachorum iſtorum fidem ſolicitans, & explorans conſtantiam. S. Cyrillum uti publicæ tranquillitatis perturbatorem traduxit, ceteroſque Catholicos in parem traxit invidiam. Imperatori perſuaſit ut de S. Cyrillo querelas perſcriberet: ipſe quoque de eodem argumento litteras ad Pontificem miſit ſaſtu plenas. Hos delinivit obſequiis, illos largitionibus flexit: quæriturque Cyrillus, illum *exhausta aurea ſua pharetra, Conſules & Comites, & Magiſtros, reginarumque chorum concitaſſe.*

Cyriſſ.
homil.
quæ inſcribitur,
Encomium
Hiſ Virginis.

His artibus factum, ut nullus fere effet Constantinopoli, qui non succumberet potestati Nestorii. Si quos de Clero reluctantes offenderet, beneficiis spoliatos multabat exilio. Monachos præsertim orthodoxos insatiabili odio persequabatur. Exponit hæc omnia libello supplici Imperatori oblato Basilius Diaconus. Nos, inquit, Nestorius *Comminationibus, insectationibus, exiliis, calididis pravisque machinationibus perterrefacere molitur; & quo suam insaniam confirmatiorem reddat, quacumque excogitari possunt, sine discrimine, aggreditur: non Deum timet, nullum hominem veretur, nullum Episcopum veneratur, nullum Sacerdotem aut Clericum, aut Sanctum Monachum honorat; nullam poenam iniquis decretam formidat, nullam denique legem: sed superbiam quâ omnes parvipendit, elatus, pecuniisque & corruptorum quorundam hominum potentiam, & ut liberè dicamus, vestram quoque dominatione fretus hæc facit.* Ecquis tandem mireretur, tam fraudulentum, tam superbum, tam potentem Episcopum, Pontificis, ipsiusque Concilii Generalis contempnissimam auctoritatem; ac diviso Episcopatu, scissamque Ecclesiam, obiisse denique impoenitentem & pertinacem?

I parte
Concil.
Ephes. c.
30.

§. V.

Photii character historicus.

Photius acer ingenio, & litteris expolitus, dotes naturæ præclaras corruperat ambitione, superbiam, contumaciam, crudelitatem, hypocrisis: quæ vitia in omnibus Sectarum Principibus observata semper fuerunt.

Vir

Vir erat primariæ nobilitatis, cujus familia illustris in aula & imperio gratiâ & auctoritate florebat, nepotibus ejus ad præcipuas dignitates evectis. Michaël juvenis & perditæ vitæ Princeps imperii solium conscenderat, intinuumque sibi ministrum delegerat Bardam quemdam, hominem moribus sibi simillimum. Hic novis semper voluptatis illecebris irretiebat Michaëlis animum, eo consilio, ut Principe à curis abhorrente, solus regnaret. In hujus primùm familiaritatem se insinuavit Photius, cujus operâ & favore commendatus ita Michaëli in amoribus esse cœpit, ut tam Princeps quàm Minister hominem per se honoris avidum impulerint ad vi invadendam Sedem Constantinopolitanam, & si quod inde in Ecclesia fortassis oriretur Schisma, Photium patrociniis suis tutum fore spondebant.

Quam ob rem tantopere mox ejus excrevit potentia, ut ab eo penderet omnium distributio gratiarum: quæ erat potentissima illecebra Clero & Episcopis objecta, ut fidem suam & Religionem ex spe fortunæ pinguioris suspenderent. Romam misit qui negotia illic sua componerent, aut saltem spe compositionis Pontificem lactantes, tempus formandæ factioni necessarium traherent. Inter has moras crebros Constantinopoli conventus habuit; Senatui sibi illius urbis agglutinavit, populum, naturâ variabilem, assiduus in Curiam Romanam atque in ipsum Pontificem velut sanæ doctrinæ corruptorem expostulationibus circumvénit; Litteras, quas à factiosis hominibus scriptas acceperat, plenas bilis & indignationis in Sedem Apostolicam,

cam, per urbem & imperium ſparſit; declarationem ab Archiëpiſcopis Trevirenſi & Coloniënſi ad ſe miſſam ſummo opere oſtentavit, quã illi, quòd à Nicolao I. per injuriam; ut prætendebant; excommunicati fuiſſent, graviter conquerebantur; denique ſchedulas nòminibus Clericorum ſignatas in urbe & vicinis Eccleſiis teſtes ſuæ erga illum fidelitatis extorſit.

Scripta hæc omnia ſeſſione 7. octavi Concilii generalis poſtmodum fuerunt combuſta.

Synodus
3 Gene-
ral. act. 7.
tom. 8.
Concil.
Labbean.
1354.

In medio Synodi ſpatio expoſitum eſt vas aneum igne plenum, allataque ſunt in ſacculo omnia volumina eorum, à quibus chirographa Photius exegit: ab omni nempe ſacrorum hominum ordine & numero, ſive Sacerdotum, ſive Clericorum magna Eccleſia, extraque illam, à majoribus juxta ac minoribus, à toto præterea Senatu, omnibuſque aliis aequè claris & obſcuris, quocumque opificio, conditionibus, ſalsamentariis &c. Singula ergo hæc in rogum conjeſta, exuſta, & penitus abolita ſunt.

Per has technarum & fallaciarum machinas tam confirmatæ auctoritatis ſe credidit Photius, ut Romana fulmina tuto jam poſſet contemnere. Omnes fere imperii Orientis Episcopos impulit in ſeditionem & Schiſma. Atque ita exiguus Prælatorum orthodoxorum ſuperfuit numerus, ut in prima ſequentis Concilii Actione non amplius tredecim ſederint Episcopos, ceteris excluſis qui vel blanditiis alleſti, vel minus territi, cum Photio anathemate percuffo communicaverant. Ignatium Patriarcham, cujus Sedem invaſerat, violentiã, falſis accuſationibus, perjuriis crudeliſſimè vexavit, tyranno quàm Prælato ſimilior: Episcopos Catholicos in
exilium

exilium expulit : & post hæc omnia , inquit Nicætas , hypocrita ille vir sanctus credebatur.

Nicætas
vita Ignacij
ciii.

Sed nulla violentia diuturna. Minima in imperio mutatio superveniens fatis est ad precipitandum Prælatum hypocritam. Photius Bardam patronum suum potentissimum morte sublatum amiserat : ac mox ingratissimus mortalium , ut Principi adularetur , defuncti memoriam (quod gratum fore Imperatori credidit) odiosis accusationibus lacera- vit. Hac vili & abjecta adulatione auctorita- tem suam aliqua parte labefactatam sustinuit. At morte Michaëlis interveniente cum Basi- lius in imperium successisset , excommuni- cationis sententiam dudum à Pontifice in Photium latam executioni mandavit. Præ- tereo dolos & fraudes alias , quibus usus est ut in pristinam restitueretur Patriarchatus dignitatem ; de qua iteratò dejectus , meri- tas secundi exilii poenas luit. Specimina data sufficiunt , ut innotescat impostoris indoles , quem Nicætas *Sanctum larvatum* appellat.

§ VI.

*Character Historicus Cranmeri Ar-
chiepiscopi Cantuariensis.*

Alter hic est primariae regni Sedis Epif- copus , qui sua auctoritate , hypocrisi , adulatione , Angliam totam in Schisma pri- mum , deinde in Hæresim impulit. Gratia & favore matronarum aulae Archiepiscopatum Cantuariensem adeptus , Regi Henrico libi- dine excoecato dux fuit ad Schisma. Quippe Thomas Cranmerus matrimonium Regis
M cum

cum Catharina legitima conjuge irritum declaravit; Principis adversus Ecclesiæ fulmen obstinavit animum; Primatum ipsi detulit Ecclesiæ Anglicanæ; Jurisdictionem Episcopalem in Laicum Magistratum transtulit; denique ut Regis obtemperaret libidini, & factionem foveret suam, omnem sus deque religionem habuit.

Nullus Sycophanta dissimulandi artem perinde calluit. Cùm esset re ipsa Lutheri Scriptor, hostem se simulavit Lutheranorum; & cum clam duxisset uxorem, palam mentitus est cælibatum. Regem decepit & Pontificem: nam cum Episcopus consecraretur, solitum de præstanda Summo Pontifici obedientia juramentum ficto & perjuro animo fecit; cumque Lutheranos, quos Rex oderat, odisse se fingeret, omnia clam machinatus est ut eam Sectam in Anglia propagaret.

Thomas Cromwellus, homo Laicus, & in spiritualibus Henrici Vicarius Generalis, Cranmero in fovendo clam Lutheranismum patrocinator est. Sed brevi meritas detectæ perfidiæ poenas luit. Felicior Archiepiscopus, quia cautior. Henrico, cujus severitatem timebat; vitâ functo, cùm esset minorennis Sceptri hæres, & regni moderamen à Cranmeri manu penderet; tum demum quod animo presserat hæreseos venenum evomuit. A Sacerdotibus primùm Catholicis conciones ad populum haberi interdixit; ejecit deinde ex Universitatibus Doctores orthodoxos; postremò in omnes generatim Catholicos sævit.

Post tot enormia crimina homo profligatus vindicantis Dei dexteram sensit. Mutato

Thomas.
fin. Tract.
de Ed. &
2. p. 475.

rato regni regimine ad rogam damnatus interit. Spe veniæ à Maria Regina obtinendæ abjuravit errores. Verùm id frustra à se factum conspicatus, ficto id se animo fecisse testatus est. Cumque vel minima rursus spes veniæ affulgeret, iteratis vicibus abjuravit errores; adeo ut septies & decies circa fidem variasse legatur. Et tamen Virum hunc Scriptores Anglicani Athanasius & Cyrillus comparant. Tales sunt Sectarum novarum Sancti.

Sand. l. de
Schism.
Angl.

D. Burnet.

§. VII.

Aliqua in characteres jam memoratos reflexiones.

Neminem his characteribus notatum volumus. Gallorum est, qui præsentem animorum divisionem inspiciunt curiosius, videre quidnam horum, & quibus conveniat; uti etiam qui effectus mali ex quorundam pertinacia merito sint timendi. Ad serium iustumque de hac re ferendum iudicium non inutiles erunt reflexiones sequentes.

1. Prælati omnes qui hæcenus Schismatum fuerunt auctores, etsi superbiâ, ambitione, pertinaciâ, hypocrisi, aliisque vitiis turgerent inflati, insignis nihilominus famam sanctitatis sectariorum suorum encomiis sunt consecuti. Non ergo fidendum præsentis sanctitati Episcopi, agmen ducentis rebellium Sectariorum. Nihil enim ad seducendos simplices & Schisma stabiliendum efficacius, quàm animus Præfulis fallaci sanctitatis opinione tumescens.

2. Si in prætenso hoc sancto deprehend-

M 2

rentur

rentur sententiæ variationes, circuitus artificiosi, speciosa proposita non implendi animo facta, sed fallendi, indicia denique superbiæ atque vindictæ; ambigendum non esset de genio & characteribus Novatoris: neque vir tot animi passionibus abreptus, haberi sanctus posset, nisi ab iis, qui factionis suæ principi turpiter adulantur.

3. Ut facilius Novatorum omnium similitudo appareat, meminisse oportet illorum temporum, quibus vixerunt antiquorum Schismatum auctores. Horrorem quemdam & detestationem veterum Schismaticorum Catholicis hodiernis sensus ipse religionis inspirat. Verùm cum illos inter & hos, qui hodie scindunt Ecclesiam, discrimen intercedere concipiamus, ad horum conspectum minùs quàm ad antiquorum memoriam exhorrescimus. Sed discrimen hoc, quod apprehenditur, non ex morum diversitate, sed ex solo temporum intervallo nascitur. Omnes hodie facilè detestamur Nestorium, Photium, Lutherum: at si ad prisca illa quibus vixerunt, tempora animum reflectamus, aliud vulgo de iis fuisse iudicium comperiemus. Illos tunc quidem Doctores Catholici tacitè execrabantur; plures alii magnificis præconiis celebrabant, nonnulli suspensio iudicio in neutram inclinabant partem, ac velut otiosi spectatores tragoediæ præstolabantur eventum: Persuadebatur fidelibus, nihil à doctrina eorum fidei & Religioni timendum; nihil speciosius in iis quàm disciplinæ rigor & morum probitas jactabatur: verbo uno tales omnino olim suspiciebantur, qualis hodie in Gallia Quæsnellus

lus & defensores ejus suspiciuntur. Veniet tempus quo horum nomina fidelibus omnibus tam erunt execrabilia, quam sunt nostris temporibus nomina eorum, qui Schismatum & Hæreseon olim fuerunt auctores.

4. Dominans quædam in regno illuvies vitiorum, timorem Schismatis auget. Nihil ita fidei & Religionis sensum extinguit quam effrænis peccandi licentiâ. Si arcana paterent consilia eorum, qui Constitutioni maximè adversantur, minus quidem miranda, quam detestanda appareret ipsorum pertinacia.

O Deus concordie amantissime, qui pacem Apostolis tuis hæreditariam reliquisti, successoribus eorum miserè dissidentibus amorem pacis inspira: conserva unitatem Ecclesie tuæ, ut sit unum ovile & unus Pastor: mercenarios procul arce & lupos: seda tempestatem: vocem tuam de navicula Petri extolle, impera ventis & mari, hoc est humanis passionibus Ecclesie tranquillitatem turbantibus. Et vos Ecclesie Pastores, inquit Apostolus, *si qua consolatio in Christo, si quod solatium charitatis, si qua societas Spiritus, si qua viscera miserationis; implete gaudium meum ut idem sapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipsum sentientes. Obsecro vos Fratres per nomen Domini nostri Jesu Christi, ut idipsum omnes dicatis, & non sint in vobis Schismata.*

Philip. 2.
v. 1. & 2.

ii Cor. 1.
v. 10.

§. VIII.

*Epistola S. Bernardi tempore Schismatis
scripta ad Episcopos Gallie.*

UT huic Tractatui coronidem imponam, non possum non adhortari Galliarum Episcopos præclarissimis S. Bernardi verbis, quibus vir Sanctus usus est ad Episcopos Aquitanie, quando ob unius Prælati ambitionem Schismatis periculo exponebatur Ecclesia Gallicana.

Bernard.
Epist. 126. *Tempus est quo virtus Vestra, si qua est, nec latere jam, nec torpere sinatur, Reverendi & merito suscipiendi Patres. Hostilis siquidem gladius, qui universo Christi corpori mortem denuo nunc temporis intentare videtur, vestris potissimum cervicibus imminet, & in vos acrius, quo cominus debacchatur: ita ut quotidianis assulibus, aut resistere fortiter, aut turpiter (quod absit) cedere compellamini. Nam is qui amat primatum gerere inter vos Diotrephe, non recipit vos: nec enim agnoscit eum quem tota vobiscum amplectitur Ecclesia venientem in nomine Domini.... Nec mirum. Et ipse nempe infatigabilis ad nomen grande multum anhelat, etiam in hac atate.... Vides quid facit amor gloria? ... Verum difficile persuadetur ei, ego scio. Nimirum homo diu magnus habitus inter suos, videri seipso inferior erubescit. Agnoscitur is quem Scriptura loquitur, PUDOR AD-
DUCENS PECCATUM. An non grande peccatum, & delictum maximum, superba ista verecundia, quâ terram & cinerem pudet, non dico subjici, sed non dominari? Propter hoc ergo reliquit homo illum suum Patrem S. Innocentium, sic enim nominabat, & matrem suam Sanctam Ecclesiam
Cath*

Catholicam, & adheret Schismatiarcha suo, & sunt duo in vanitate una. Percusserunt foedus adinvicem, & super populum Dei malignaverunt consilium.... Invicem se consolantur, tuentur, commendant.... Itaque uno quidem ex ore, sed corde profecto duplici contraria processere. Labia dolosa in corde, & corde locuta sunt. Sed enim homo cui cor & cor diverberat conscientiam, & EST & NON, divaricat linguam; putas quia timor ei in mente sit, aut in fronte pudor? ... Audet (quod & flens dico) inimicus crucis Christi suis sedibus pellere sanctos, qui nolunt bestiam adorare, quae aperuit os suum in blasphemias, blasphemare nomen Dei, & tabernaculum ejus. Altare contra altare erigere tentat.... amovere Catholicos, promovere Schismaticos. Miseri, & miserandi, qui ita promoveri, & ab isto consentiunt.

Ceterum ipsi auctores Schismatis nunc judicium expetunt.... ut videlicet si recusetur, injusti vos videamini: si recipiatur, litigantibus inter se partibus, dilatio redimat tempus, & interim fiat aliquid.... Quidquid (inquiunt) haecenus factum sit, modo quærimus audientiam, judicium sumus subire parati. Tergiversatio est. Quid in omni impio conatu vestro vobis relinquatur aliud, quod afferre queatis ad seducendum simplices, ad amandum malevolos, ad vestram ipsorum palliandam malitiam? Si hoc non diceretis, quid diceretis? Ceterum jam Deus judicavit, quod serò repetit homo. Judicavit autem operis evidentiam, non decreti sententiam. Nunquid Dei judicium audeat humana temeritas retractare? ... Non est consilium contra consilium Domini.... Dei esse judicium senserunt, & consenserunt Galterius Ravennas, Hildegarius Terraconensis, Norbertus Magdeburgensis, Conradus Salsburgensis Archiepiscopi. Dei esse judicium co-

gnoverunt, & acquieverunt Episcopi Equipertus Monasteriensis, Hildebrannus Pistoriensis, Bernardus Papiensis, Landulphus Astensis, Hugo Granopolitanus, Bernardus Parmensis.... Taceo multitudinem ceterorum, Tuscia, Campania, Longobardia, Germania, & Aquitania, Galliarum denique & Hispaniarum omnium, nec non & universae Orientalis Ecclesiae tam Archiepiscoporum quam Episcoporum; quorum nomina sunt in libro vite, sed Epistola brevitatis non admittit.

Hi omnes unanimes, non conducti pecuniâ, non seducti fallacia, non illecti privato carnis vel cognationis amore, non timore compulsi potentiae secularis, sed Dei procul dubio voluntatem sicut non ignorantes, ita nec dissimilantes, Petrum Leonis (SCHISMATICUM) ingenuè refutaverunt.... Nostratum sanè nemo ex nomine in his expressus est litteris, quia omnes compendium non fert.... Non autem debeo praeittere sanctos, qui mundo mortui, Deo melius vivunt: quorum vita abscondita est cum Christo in gloria. Itaque Camaudulienses, Vallambrosani, Carthusienses, Cluniacenses, & qui de majori monasterio sunt, mei quoque Cistercienses, Cistembleses, Cadumenses, Tironenses, & Saviniacenses; Universitas denique & unanimitas fratrum tam Clericorum quam Monachorum regularis vita probataque conversationis sequentes Episcopos tanquam greges Pastores suos, Innocentio firmiter adherent, sincerè servant, humiliter parent.

Quid Reges & Principes terra? Nonne in eodem spiritu unâ cum subjectis sibi plebibus, Innocentium pariter amplectuntur? Et tamen isti nescio qua contentiosa importunitate, & importuna contentione reclamant: vocant in causam orbem, & cum sua paucitate universitatem flagitant

tant judicari.... Quis tot sanctorum millibus persuadere sufficiat, quod prius adificaverunt, iterum destruere, & abducere semetipsos in pravariationem? Quis deinde locus omnibus tantus, omnibus tutus? Universa quippe Ecclesia negotium est, non unius culpa persona. Videtis quòd de impossibili calumniam struitis matri vestrae? Immo vobis foveam foditis, in quam precipitemini, & laqueum neccitis quo teneamini, ne ad gremium revertamini matris vestrae. Occasio nunquam deerit ei, qui vult recedere ab amico.

Sed esto. Mutet consilium suum Deus (secundum hominem dico) revocet sententiam, convocet à finibus terra Concilium, judicari bis in idipsum, quod ipse non facit, patiatur: quosnam, quæso, dabunt iudices sibi? Omnes quippe in parte sunt... Et hæc dicimus, non de nostra justitia diffidentes, sed à vestra caventes versutia. Jam enim Deus eduxit tanquam lumen justitiam suam, & iudicium suum tanquam meridiem: etsi caco nec lumen appareat, nec meridies luceat; quoniam sicut tenebra ejus, ita & lumen ejus....

Horum conatui tam maligno, tam indigno, tam temerario, totis certè viribus renitendum esse videtis Reverendissimi & Illustrissimi Patres. Quod cum omni familia Dei, tum vobis maximè vestrisque convenit, si tamen zelus domus Dei comedit animas vestras. Vobis, inquam, & vestris maximè vigilandum est, & orandum ne intretis in tentationem. In ea sanè parte majore opus est fortitudine & cautela, unde acrius insistit adversarius, & vis belli major incumbit. Quàm savus & callidus hostis insurrexerit in vos, proprio certè agnoscitis experimento. Heu quàm multum jam malitia illius in illis partibus pro accepta potestate processit, utroque saviens genere malignandi, vi & dolo.

Nun-

Nunquid autem malitia vincet tandem sapientiam? Sed hæc est hora ipsius, & potestas tenebrarum. Ceterum hora novissima est, & potestas citò transit. Ne terreamini, ne seducamini: Dei virtus & Dei sapientia Christus vobiscum est, & in causa est. Confidite; ipse vicit mundum, fidelis est, non permittet vos tentari supra id quod potestis. Videtis stultum firma radice? Sine dubio statim maledicetur pulchritudini ejus. Non enim diu relinquet Dominus Virgam peccatorum super sortem justorum. Verùm vestra interim vigilantia est, vestris pro vestro officio sollicitè providere, sicut & providetis, ut non extendant justi ad iniquitatem manus suas. Oratio pro Catholicis: BENE FAC DOMINE BONIS ET RECTIS CORDE: Pro Schismaticis: IMPLE DOMINE FACIES EORUM IGNO-MINIA, UT QUÆRANT NOMEN TUUM.

Hæc fuit S. Bernardi ad Galliarum Episcopos oratio. Cum eodem adjungimus: Demonstro lupum, instigo canes: quid intersit vestra, vos videritis. Ep. 308.

F I N I S.



I N-



INDEX
CAPITUM.
CAPUT PRIMUM.
De Natura Schismatis.

- §. I. Schismatis definitio. Pagina 1
§. II. In quo Schisma ab Hæresi differat. 4
§. III. An securos nos reddere possint qui de Schismate suspecti sunt, quòd eadem se nobiscum dogmata tenere prætexant. 5
§. IV. Quâ divisione Schisma perficiatur. 6

CAPUT II.

De necessitate communionis cum universali Ecclesia, ad evitandum Schisma.

- §. I. Communio cum universali Ecclesia est medium ad aeternam salutem prorsus necessarium. 8
§. II. Quæ Societas appellanda sit Ecclesia Catholica. 10
§. III. Fidei interioris unitas non sufficit ad communionem cum Ecclesia Catholica. 14
§. IV. Communio cum Ecclesia exterior non sufficit. 15
§. V. Exiguus Episcoporum manipulus à reliquis Orbis Episcopis quoad definiti dogmatis adhesionem separatus nullam habet cum Ecclesia communionem. 16

C A-

I N D E X

C A P U T III.

De necessitate communionis cum S. Sede ad
evitandum Schisma.

- §. I. *S. Sedes est unitatis Catholicae centrum.* 19
 §. II. *Quisquis à S. Sede separatur, separatur
ab Ecclesia.* 20
 §. III. *An communicatio cum S. Sede servari possit,
non servata communione cum Summo Pontifice
ex Cathedra docente.* 25
 §. IV. *Quandonam censendus quis sit à S. Sedis
communione divisus.* 27

C A P U T IV.

De auctoritate quâ Pontifex declaratos à se
Schismaticos & Hæreticos, uti tales
haberi voluit ab universa Ecclesia:

- §. I. *Judicium de causis majoribus, quales sunt
Schisma & Hæresis, semper ad S. Sedem dela-
tum fuit.* 30
 §. II. *Summus Pontifex suprema ac definitiva
sententia semper de his causis judicavit.* 32
 §. III. *Ecclesia semper habuit communionem cum
iis cum quibus Pontifex communionem habuit;
semper Schismaticos censuit, à quorum se Pon-
tifex communione subtraxit.* 34

C A P U T V.

Examinantur facta quædam historica, qui-
bus se Schismatici S. Sedi & Corpori Epif-
coporum resistentes, tueri conantur.

- §. I. *Factum S. Cypriani.* 38
 §. II. *Factum Liberii Papæ.* 43
 §. III. *Concilium Riminense.* 46
 §. IV. *De S. Irenæi cum S. Victore Pontifice consli-
ctu.* 49

C A -

CAPITUM.

CAPUT VI.

Traditio Ecclesiæ Gallicanæ de auctoritate Pontificis & communionem cum S. Sede.

- §. I. *Sententia SS. Patrum Gallicana Ecclesia.* 51
§. II. *Cleri Gallicani novissimorum seculorum de S. Sedis auctoritate sententia.* 58
§. III. *Quanta veneratione S. Sedi adhaeserint Reges Gallia.* 63

CAPUT VII.

Ex privatis Regum Franciæ cum Summis Pontificibus diffidiis clariùs emicuit in rebus fidei S. Sedis auctoritas.

- §. I. *De diffidio Lotharii cum Nicolao I.* 68
§. II. *De diffidio Philippi I. cum Urbano II.* 72
§. III. *De diffidio Philippi Augusti cum Innocentio III.* 74
§. IV. *De diffidio Philippi Pulcri cum Bonifacio VIII.* 76
§. V. *De diffidio Ludovici XII. cum Julio II.* 80

CAPUT VIII.

De Libertatum Gallicanarum abusu ad fovendum Schisma.

- §. I. *Qui de Libertatibus Gallicanis scripserunt auctores, eas ad fovendum Schisma perperam extenderunt.* 84
§. II. *Censura cleri Gallicani contra librum cui titulus: Libertates Ecclesiæ Gallicanæ.* 86
§. III. *Difficultas determinandi in quo præcisè Gallicanæ Libertates consistant, abusum earumdem faciliorem reddit.* 87
§. IV. *Infalibilitas Pontificis, & supra Concilium auctoritas non officit Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ.* 89

§. V.

I N D E X

- §. V. *Quanta sint auctoritatis, quos ceu Libertatum Gallicanarum patronos nonnulli suscipiunt.* 91

C A P U T IX.

De stabiliendo Patriariarchatu.

- §. I. *Sine Schismate in Gallia stabiliri non potest Patriarcha, qui ab Apostolica Sedis jurisdictione sit exemptus.* 94
- §. II. *Pontifex praterquam quod sit Caput visibile totius Ecclesie, est speciatim Patriarcha Occidentis.* 97
- §. III. *A Patriarchatu in Gallia erigendo semper Galli abhorruerunt.* 99
- §. IV. *De dissolvendo Pacto, seu ut vocant, Concordato.* 102

C A P U T X.

De Appellatione à Pontifice ad futurum Concilium.

- §. I. *Omnis à Pontifice ad futurum Concilium in materia doctrina appellatio viam sternit ad Schisma.* 104
- §. II. *Appellatio à dogmatica Constitutione ab Ecclesia recepta ad futurum Concilium, est publica Schismatis & Hæreseos professio.* 108
- §. III. *An ab Ecclesiasticis aut Religiosis, à dogmatica Constitutione ab Ecclesia recepta ad Concilium appellantibus, accipi possint Sacramenta.* 111

C A P U T XI.

Quale & quantum crimen sit Schisma.

- §. I. *De hujus criminis fœditate.* 116
- §. II. *Quid SS. Patres de criminis hujus fœditate senserint.* 118
- §. III.

C A P I T U M.

- §. III. *Quid censendum de prætensa Schismaticorum sanctitate.* 120

C A P U T XII.

De malis ex Schismate pullulantibus.

- §. I. *Religionem Schisma penitus destruit.* 123
§. II. *Clericalis dignitas per Schisma vili servituti subjicitur.* 125
§. III. *Schisma Regnorum turbas & ruinam causat.* 127

C A P U T XIII.

Quâ cautione opus sit Schismate imminente.

- §. I. *Quid agere & pati debeant Episcopi ad avertendum Schisma.* 131
§. II. *Quid urgente periculo Schismatis agendum Magistratibus.* 135
§. III. *Quid, dum periculum imminet Schismatis, Ecclesiasticis & Religiosis agendum.* 139
§. IV. *Quid, dum Schisma imminet, agendum fidelibus.* 142

C A P U T XIV.

Præcipua Ecclesiæ Schismata cum eo, quod imminet Ecclesiæ Gallicanæ, comparantur.

- §. I. *De Schismate Novatianorum.* 147
§. II. *De Schismate Donatistarum.* 150
§. III. *De Photii Schismate.* 153
§. IV. *De Schismate Henrici VIII. Regis Angliæ.* 156
§. V. *Reflexiones in præcipuorum Schismatum narratam historiam.* 159

C A

INDEX CAPITUM.

CAPUT XV.


Characteres historici Episcoporum qui
Schismatum auctores fuerunt.

- | | |
|---|-----|
| §. I. Character historicus Novatiani, | 161 |
| §. II. Character historicus Donati. | 164 |
| §. III. Juliani Eclanensis character historicus. | 166 |
| §. IV. Character historicus Nestorii. | 872 |
| §. V. Photii character historicus. | 174 |
| §. VI. Character historicus Cranmeri Archiepiscopi Cantuariensis. | 177 |
| §. VII. Aliqua in characteres jam memoratos reflexiones. | 179 |
| §. VIII. Epistola S. Bernardi tempore Schismatis scripta ad Episcopos Gallie. | 182 |

FINIS.



I
4
6
2
4
f
7
-
9
5
2





5

Th
5010